


B₂-6-31

B-6-31
2

187.
I. 134.



945.07

B887c

v. 1

Rare Book & Special
Collections Library






Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

<http://archive.org/details/castrucciibonami01buon>

CASTRUCCII
BONAMICI
COMMENTARIORUM
DE
BELLO ITALICO
LIBER I.



LUGDUNI BATAVORUM.
EDITIO PRIMA.

clo cI cc l.

THE COUNCIL

OF THE CHURCH

IN THE STATE OF NEW YORK

FOR THE PASTORAL CARE

OF THE CHURCHES

IN THE STATE OF NEW YORK

AT THE COMMENCEMENT

OF THE PASTORAL CARE

OF THE CHURCHES

IN THE STATE OF NEW YORK

AT THE COMMENCEMENT

OF THE PASTORAL CARE

OF THE CHURCHES

IN THE STATE OF NEW YORK

AT THE COMMENCEMENT

OF THE PASTORAL CARE

OF THE CHURCHES

IN THE STATE OF NEW YORK

29 My 34
NUBIV

945.07
B887c

CASTRUCCII BONAMICI

Commentariorum de Bello Italico

LIBRI PRIMI

A D

C A R O L U M B O R B O N I U M

Neapolis, & Siciliæ Regem,

P R A E F A T I O .



IFFICILE profecto
est, atque arduum,

CAROLE BORBONI REX,

745257

eorum, quæ ætate contigerunt sua,
scribere historiam; propterea quod
non ingenii solum ea scribenti, sed
etiam capitis interdum, atque id
quod ego plurimi facio, existima-
tionis discrimen adēundum sit. Et-
enim cum illud maxime propositum
historico esse debeat, ut nihil non
audiat veri dicere, periculum sa-
ne est, ne certarum explicatio re-
rum necessaria potentiorum possit
animos offendere, qui assentatorum
depravati blanditiis, si quid male
gesserunt non redargui memoria
scriptorum, sed defendi volunt obli-
vione, & silentio: adeo ut vel fi-
des in historico, si tempori obsequa-
tur, vel prudentia desiderari pos-
sit, si veritati serviat. Quamob-
rem melius sibi, suisque prospexitse

monumentis mihi videntur ii , qui
res a temporibus suis longe remo-
tas perscribendas suscepérunt . Nam
qui dominabantur , extinctis , re-
busque commutatis nulla scriptori
mentiendi , nulla est cuiquam cau-
sa succensendi , licetque spe , ac
metu vetustate sublatis mortuo-
rum facta , & laudare sine in-
vidia , & vituperare sine peri-
culo . Quod item nobis facillimum
factu fuisset , magna que liberati
cura videremur ; nisi gravis jam
causa impulisset nos , ut res ad
Velitras gestas conscriberemus , &
tua nunc authoritas , CAROLE
REX , accessisset , qua mandatum
nobis etiam , atque etiam esse vo-
luisti , ut eam Italici belli partem
quæ res consequitur illas , com-

mentariis nostris persequeremur, iterque in Cisalpinam usque Galliam susciperemus, ut ♂ locorum ubi majore ex parte bellum illud gestum est, ♂ hominum, qui aut eidem interfuerunt bello, aut præfuerunt, explorata cognitione, naturaque perspecta, historiæ nostra non minus diligentia, quam veritati consulteremus.

Ac veritatis quidem præferendæ eo vel maxime difficultas extenuatur, quod ad REGEM scribimus, qui præclara sustentatus virtutum suarum conscientia historia non horret, actionum indicem humanarum, quique eadem animi magnitudine, qua mendaciis repugnare adulantium solet, vera scribentem tutabitur; neque patietur

unquam necessariam historico eripi libertatem, qua, ipso regnante, fruuntur omnes: cum piissimo, iustissimoque Regi servire nihil aliud sit, quam gratissima, omnibusque bonis cumulata libertas.

Quanquam præsentis temporis conscribenda historia ita posse rationem temperari arbitror, ut neque fides, neque prudentia in scribendo desideretur. Magna est enim orationis vis in utramque partem, ut neque assentatio placeat sine quodam artificio dicendi, neque sit odiosa veritas, quæ lenitate sermonis aspersa in animos illabatur; nisi si quis est aut natura ita asper, ut nullam ab acerbitate sejunctam veritatem probet, aut ingenio ita delicatus, ut ne honestam quidem,

quasi legitimam historici libertatem ferre possit. Quorum ego hominum fastidium atque insolitatem adeo non moror, ut prudentis contra, & gravis esse historici putem ejusmodi opinionibus a recta scribendi ratione non deterreri.

Sed neque mihi audiendum est aliud genus hominum, qui militari institutioni contrariam esse dicunt scientiam rerum pulcherrimarum, negantque tantum in scribendo opera, ac temporis ponere militem oportere. Nam quid hos requiri mus leves & ineruditos, cum veteres illos Romanos auctores habeamus praeclarissimos? qui ab humioribus disciplinis adeo non abhorruerunt, cum bellicis florerent laudibus, ut iidem res agerent

scriptione dignissimas, iidem scribe-
rent. Romanorum ego industriam
imitari præ me fero: utinam af-
sequi virtutem possem! Tunc enim
non obtrectationem deprecarer, sed
præmium postularem; atque a Te
postularem, CAROLE REX,
qui nunquam profecto sobolem mi-
litum, nova instituta Academia,
meque ipsum insigni beneficio ad
optimas artes excitasses, nisi ar-
morum hanc, literarumque con-
junctionem valde probares, maxi-
meque regale duceres, iis potissi-
mum Patrocinii Tui quasi lucem
porrigere, quorum armis Regnum
defendi, illustrari literis potest.
Neque vero existimare aliter po-
tes, cum ♂ quibus hominibus
imperes, ♂ a quibus ortus sis,

Et quos denique in lucem edideris
ipse tecum sapissime cogites. In to-
tius enim Italiæ parte beatissima
collocatus a Deo , ut regnares,
versari Te profecto vides in eo-
rum hominum vestigiis , qui magni
semper in omni ætate fuerunt scri-
ptores , actoresque rerum ; Tuque
ipse , CAROLE REX , diffi-
cillimo tempore expertus es , non
domi fidem , Et consilium , non
fortitudinem foris , atque armo-
rum vim Siculis , Neapolitanisque
deesse . Quorum quidem hominum
regiones amœnitate cœli , bonitate
agrorum , civium nobilitate , no-
stris , vetustisque temporibus cele-
bratae ideo mihi Gracium quodam-
modo respexisse , ideo Latium vi-
dentur attigisse , ut eo , in unam

veluti sedem, & Græcorum elegan-
tia, & virtus immigrasse Roma-
norum videatur. Quare miran-
dum non est si Græcorum, Roma-
norumque artibus exculta, & na-
tivo quodam sensu, atque insita
felicitate Reges semper bello, pa-
ceque insignes aut acceperint, aut
ipsæ fecerint: minusque etiam mi-
randum est, si Tu, Optime Ma-
ximeque REX ad eos imitandos
Reges, & superandos etiam com-
moveris. Quæ enim possederunt
ipſi, regna obtines eadem, eodem
que sanguine ortus Abavum præter-
ea habes Magnum LUDOVICUM
Galliae Regem, & Patrem PHILIP-
PUM Hispaniæ Regem præstantissi-
mum. Quod igitur a LUDOVICO
Gallia, Hispania a PHILIPPO ha-
b ij

buit, ut bonarum artium Paren-
tes, atque illustrium virorum Pa-
tronii haberentur, & essent, id a
Te Italia tuis, tuorumque Majo-
rum peragrata victoriis, atque or-
nata legibus, & tua in primis po-
stulare Neapolis jure optimo vide-
batur, seque assequutam esse sum-
mopere gaudet. Testantur id cum
moles illæ objectæ fluctibus, atque
hostibus, portusque manufacti, tum
omnium disciplinarum domicilium
magnifico abs Te opere exornatum:
qua duo, ut omittam cætera, quo-
ties Neapolitani vident, toties secu-
ritatem ii suam, & beneficium ne-
cessè est tuum videant, lœtenturque
nihil esse abs Te prætermissum, quod
ad pacis, belliique artes in civi-
tate excellendas pertineat.

Quanta vero gaudii accessio ex eo facta est, quod gloriari possunt editos esse apud se Regios Liberos tuos, qui mihi jam ab incunabulis salutem innuere videntur Italiæ, & gentium fugam barbararum. Quo autem in majorem Imperiorum, magnorumque facinorum spem nati sunt, eo diligentius solidæ virtutis præceptis, & veterum Romanorum exemplis imbuendi sunt, ut ad maximas res confiendas accedant paratiores. Atque haud scio, an hoc ideo fortuna tulerit, ut eo potissimum tempore nascerentur Liberi tui, quo plurima, ac vetustissima illorum hominum monumenta in eodem littore e nebris eruuntur, ubi in lucem ipsi suscepiti sunt. Nam eorum facta

summo sibi studio imitanda esse statuerunt, quorum levissima queque ad doctis viris tanta cura conquiri, explicarique videant. Et sane ejusmodi antiquitatis studia nisi ad historiam cognoscendam, clarorumque adeo virorum imitationem persequendam referantur, curiositatis cujusdam plenissima, sapientia autem inanissima reperientur. Quanquam non magnopere illi quidem vetera requirent, cum domi habeant ante oculos omnium exempla virtutum. Parentes enim habent eos, qui cum regiis abundant virtutibus justitia, beneficentia, magnitudine animi, privatis non carent continentia, probitate, suavitate morum, quæ licet reconditæ, atque interiores sint, emanant tamen, multaque de iis

narrantes egomet audivi homines nobilissimos, qui propter generis præstantiam versari familiarius cum Regibus consueverunt, propter familiaritatem autem eas facilius nosse virtutes, & quasi reducto majestatis velo perspicere possunt. At illæ alteræ quæ appellantur regiæ, propterea quod in publica utilitate, & luce versantur, majoribus ut ita dicam, theatris propositæ non egent testificatione cuiusquam. Quominus vereor, ne quis gratiæ me causa quicquam in scribendo mentiri putet, cum eo mandante Rege scribam, qui laudibus cumulatus verissimis nullis falsis deliniri potest. Ad alienam vero gratiam, quid ego respiciam, qui Tibi, CAROLE REX, debeam uni omnia? sin autem mo-

veri gratia non possumus, metu cer-
te non debemus. Ejusmodi enim in-
gressi sumus vitæ rationem, ut quæ
vere, atque honeste dici possunt, for-
titer, ac libere dicere ne vereamur,
nihilque præter dedecus metuendum
nobis esse statuerimus. Quapropter
omni metu, & cupiditate vacui; ea-
que libertate, quæ militem decet, at-
que historicum, qui nihil temere scri-
bat, nihil astute prætereat, tuaque sit,
CAROLE REX, tectus auctoritate
eam Italicī belli partem latinis man-
dare literis aggredimur; quæ ab Au-
striacorum a Velitris receptu initium
ducens Aquisgranensi pace, & Ni-
cæensi in Italia conventu terminatur.

Opus sane memorandum, &
fortunæ varietate adeo insigne, ut
victores interdum desperaverint, spe-

rare victi nunquam desierint, fero-
cissimique extiterint, qui imbellis
videbantur, omniaque fortia passi
pro libertate, atque ausi sint. Fugati,
casique exercitus, Ducesque nobiles,
expugnatæ urbes, direptæ Provinciæ
leguntur etiam alibi, & exitus sunt
communes bellorum omnium. Illud
hujuscē belli, de quo scribimus, præ-
cipuum est, quod tot præliis, tot cla-
dibus, tantorumque Regum viribus
nihil fere perfectum est, quod rerum
gestarum magnitudini responderit,
non Principum ambitio sedata, non
Populorum constabilita felicitas; bel-
lum denique vehemens, atque atrox
pax repente concluserit otiosis ma-
gis optanda, & defatigatis neces-
faria, quam cuiquam opportuna,
aut gloriofa bellantium.

Totum autem opus tribus Li-
bris complectemur, quorum hic
primus in tuo, REX, nomine ap-
paret. Scriptionis enim nostræ fru-
ctus aliquis ad neminem prius,
quam ad eum pertinere debet, a
quo accepimus, ut scriberemus.





CASTRUCCII BONAMICI
COMMENTARIORUM
D E
BELLO ITALICO
LIBER PRIMUS.



EPULSIS Austriacis CAROLUS quidem Rex, ita uti in Commentario de rebus ad Velitras gestis diximus, Neapolim victor revertebatur: At Mutinensium Dux, Gagiusque cum Hispanorum copiis, & auxiliaribus, quas e suo delectas exercitu illis Rex,

A attri-

attribuerat, se se recipientem Lobcovicium insequuntur, effectisque eâ de causâ duobus in Tyberi pontibus exercitum iv. non. Nov. traducunt. Lobcoviczius missis jam antea, qui idoneum prope Viterbium castris locum deligerent, in ea se castra septimo a Velitris die contulit; quæ quidem egregiè loci naturâ objecto monte satis edito, nemoreque denso, atque aspero muniebantur. Hæc Gagius animadvertisens, qui hostes Roncilionem erat usque persequutus, ad Falerios Faliscorum, Spoletumque subito se convertit, atque ex iis locis in Umbriam crumpere meditabatur, sperans si prior Perusiam occupasset, Lobcovicium receptu, & commeatu posse omni intercludi. Sed Lobcoviczius, cognito consilio ejus, motis extemplo a Viterbio castris, per Urbeve-

bevetanum agrum iter arripiens, & silvas inter, ac saltus properans antecesserat tam opportuno tempore, ut simul ipse Perusiam attingeret, & Hispani, Neapolitanique in Assisiensi agro cernerentur. Erat enim ex oppido Perusiâ propinquus despectus in pulcherrimam Umbriæ vallem.

Gagius in ea planicie, quæ inter Assisium, Forumque Flaminii interest, castra facit: cohortes aliquanto latius porrigi, simul plures nocturne ignes accendi jubet, quo ex tam late productis ordinibus, dispersisque ignibus amplioris speciem exercitus hostibus ostentaret. Suæ enim copiæ, quanquam e Neapolitanis, ut diximus, auxiliis, atque his, qui ex Hispaniis per eos dies ad oram Romanam, Centumque cellas appulerant, refectæ; infrequentiores tamen adhuc,

4 DE BELLO ITALICO,

vixque iixx. millia numero erant. Lobcoviczii autem ne xiii. quidem nullum numerum explebant, insigni morborum, & perfugarum frequentia, quod in omni fere receptu accidere consuevit: multis etiam ad Aricinum nemus absumptis, & nonnullis cohortibus, quæ Regis Sardiniæ auxiliarentur, in Galliam Cisalpinam summissis. Quapropter cum suorum paucitatem videret, hostium numerum multo etiam maiorem ex castrorum amplitudine arbitraretur, profectionem fugæ similem circumspectabat vehementer timens, ne intercluderetur. Itaque ne celeritati quidem satis confisus suæ, Comiti Soroo, qui suis, exercitusque impedimentis præsidio ibat, magnopere mandat, uti aliquam in sequenti Gagio moram inferat; dum ipse per Eugubinos montes, superato Apennino, secun-

secundum Adriaticum mare in Flaminiam descenderet, inque ejus regionis oppida exercitum in Hiberna duceret. Hisce mandatis acceptis Comes Sorous, converso itinere, Nuceriam occupat, ibique consistit. Erant cum eo nongenti ferme projectâ audaciâ milites ad omne facinus, atque discrimen impunitate diuturnâ, crebrisque certaminibus obdurati, perfugæ omnes, eoque acriores, ne, si in potestatem Hispanorum venirent, ad ultimum supplicium progredi cogerentur. Et jam Hispanorum, ac Neapolitanorum primum agmen a Foro Flaminii profectum instabat, & occupatis circa Nuceriam collibus imminebat universum. Neque ob id Sorous a proposito deterrebatur. Insanire hominem oppidani dicere, qui ab omnibus rebus flagitosè imparatus tam parvulis copiis

DE BELLO ITALICO ,
copiis, nullis munitionibus, adversario-
rum exercitui obsistere velit; monere,
ut sibi, suisque, subito discessu, con-
sulat. Enimvero ille animo feroci,
minacique vultu negat, universum
adversariorum exercitum tanti esse, ut
ipse fugiat; & memor eorum, quæ
paulo ante Lobcoviczio Imperatori suo
confirmaverat, milites cohortatus, ut
nullam nisi in armis salutis spem po-
nerent, urbem, suburbiumque, pro
loco, ac tempore communxit, portas
obstruit, transversas trabes viis indu-
cit, denique nihil reliqui ad defen-
sionem audacissime facit. At Hispani,
Neapolitanique primo impetu in sub-
urbium irrumpunt, portamque oppi-
di unam incendunt, neque tamen
ulterius progredi audent loci difficul-
tate, suorum cæde, hostium furore
deterriti. Quibus rebus factum est,
ut in

ut in foro, ubi mercatum habere oppidani solent, aggere extructo, & tormentis quatuor, quæ a Foro Flaminii advexerant, collocatis, quaterē oppidum, ac diruere instituerint. Tum vero atrocitate rei oppidani commoti Soroum circumsistunt, unum universi orant, atque obsecrant, ne suâ pertinaciâ ipsorum fortunas omnes deleri funditus patiatur. Ille omni re desperata, cum jam nec jacula militibus, nec vires suppeterent, simul Lobcoviczium effugisse jam sciret, colloquium petit, paratumque se dedere ait, si modo incolumitatem transfugis, veniamque impetrat. Non impetratâ, tamen ad ditionem compellitur. Ditione factâ, ipsa e vestigio ab Gagianis militibus Nuceria diripitur, Pontificis Maximi oppidum: adeo nihil in bello sanctum, nihilque

nihilque tam opportunum injuriæ, quam medium, & quietum sine armis imperium. Gagius, conservato Comite Soroo, in cæteros, uti in transfugas, lege agi jubet. Injecta continuo omnibus vincula unum querentibus, quod vitam, quam projicere in prælio per virtutem poterant, supplicio, atque ignominia reservassent. Statim inde in castra ad Forum Flaminii abripiuntur, ibique in eos, toto inspectante exercitu, paulo severius animadversum esse videbatur, propterea quod non sorte decimus quisque, uti militari consuetudine receptum est, sed quintus quisque lectus ad supplicium sit, illique ipsi milites, qui sortium beneficio supplicium vitaverant, tamen illuvie obsiti, catenatique longo, ac miserabili agmine Cajetam usque perducti fuerint, ubi qui

qui honestioris in militia ordinis erant compingerentur in carceres , reliqui ad opus , atque ad triremes damnarentur . At ii , quos extremum sequi supplicium damnatos oportebat , pars arboribus suspensi , pars jaculis confossi fædissimè perierunt . Perhorruere milites , populique præsertim lenissimo Pontificis imperio assueti tantam subito stragem , non reputantes eâ severitate militarem disciplinam contineri , & reipublicæ interesse vehementer punire transfugas . Justissimo igitur suppicio affectis transfugis , Gagius assequendi hostis spe dejectus , cum summa jam hiems instaret , distributis circum agri Romani municipia legionibus , ipse Viterbii hiemare constituit . Quo in oppido cum cæteri copiarum Præfecti otiosum ab hoste tempus ludis , scœnisque

10 DE BELLO ITALICO,

nisque contererent, ille tacitus plerumque totius Italici belli molem animo agitabat. Itaque maturius paulo, quam tempus postulabat, deducto ex hibernis exercitu quasi incertus quā progrederetur, ut sua hostibus consilia occultaret, modo se Flaminiae viæ dare, interdum Hetruriæ ostendere se veluti minitabundus, atque in eam partem impressionem facturus videbatur. Quæ quidem fama erat edita in vulgus, adeoque percrebuerat, ut qui ei provinciæ præerant, trepidarent, atque aliquot in fines Aretinorum cohortes præsidii causâ mitterent. Quanquam enim Viennensi fœdere diligentissimè cautum de Hetruriâ non turbandâ fuerat; quo fœdere Hispaniarum Regis socius, atque amicus Galliarum Rex acceptâ a Francisco Duce, quam Regi Stanislao socero attri-

attribueret, Lotharingiâ, Hetruriam
Francisco in perpetuum addicendam,
Hispano consentiente, curaverat, re-
que ipsâ addixerat: interdum tamen
illa suberat cogitatio, quam faciles
essent hominum, & cum primis Re-
gum ad fallendum mentes; neque
tam, qui Hetruriæ præerant, Hispanos
timebant, qui adventare dicebantur,
quam populares, quorum ipsi adver-
sâ, Hispani secundâ voluntate uteban-
tur. Nam Florentinos Borboniarum
partium studio omnium in Italia ma-
xime flagrare opinio erat, vel quia
Caroli Hispaniarum Regis F. ad-
ventum, ejusque benignitatis memo-
riam novâ nondum dominatione ex-
pulerant, vel quia Medicæorum ex-
tinctâ apud ipsos familiâ in Transal-
pinorum potestatem redacti servitute
premi inclemiore videbantur. Vi-

tio etiam gentis humanæ, quæ longinqua expetere, fastidire presentia consuevit. Sed Gagius, qui in He-truriam cogitaverat nunquam, superum mare versus iter facere, ad hostemque contendere cœpit.

Quadringenti ferme vicum quendam in Flaminia, qui Catholica appellatur, insederant Ungarici equites, ibique erant ab Lobcoviczio collocati, ut Hispani exercitus conatus, atque itinera specularentur. Quem exercitum ubi appropinquare cognoverunt, constatim loco excessere. Quo facto, qui Arimini, quique Cæsenæ Austriaci milites præsidii causa erant Ungaricis se se equitibus adjunixerunt, unâque omnes ad Cornelii Forum perrexerunt. Hiemabat ibi Lobcoviczius. Hic de Hispanorum adventu certior factus, cum quæ per literas, nun-

nunciosque ab Rege Sardiniæ flagitaverat, nusquam adhuc apparerent auxilia, atque ipse, attritis jam viribus, multo omnibus rebus esset Hispanis inferior, educere ex hibernis exercitum, seque properans recipere cœpit: neque prius properandi finem fecit, quam ad Mutinam perveniret, castraque ad eam urbem opportuno, & munito loco ponere.

Ipsius enim castrorum dextrum latus ita urbi adhærescebat, ut adactis ex arce Mutinensi telis protegi posset. Sinistrum fossâ sepiebatur, quæ derivandi fluminis causâ prope Mutinam erat non mediocrem in altitudinem depressâ. A fronte munitiones Lobcoviczius instituerat optimas, easque tormentis, perpetuisque stationibus instruxerat. A tergo autem castrorum amnis erat Gabellus, eoque in amne pontes

DE BELLO ITALICO,
pontes effecerat tres , quo facilior es-
set in Mantuanum agrum receptus ,
ex eove commodior , si nemo pre-
meret , commeatus . His rationibus
Lobcoviczius ad utrumque paratus ,
seu pontibus effectis se se ulterius re-
cipere , seu communitis castris rema-
nere mallet , auxilia certe expectare ,
& bellum ducere velle videbatur .
Jam vero eo magis festinare Gagius ,
atque in maximam conficiendi nego-
tii spem adduci si Lobcoviczium af-
sequeretur , cumque eo confligeret ,
priusquam ille se se Transalpinis , &
Sardiniensibus auxiliis confirmaret . Ita-
que ad Forum Cornelii , eodem ,
quo hostis , itinere properans in fi-
nes Bononiensium celerius opinione
omnium pervenit , continuatoque iti-
nere Scultennam cum omni exercitu
Flumen vado transit , ita ut humeri
tan-

tantum, summaque militum pectora extarent, eademque usus celeritate, cum hostium manum, quæ Spilinbergium (in Mutinensi agro ad Scultennam vicus est) tenebat, in fugam conjectisset, ad locum pervenit, qui appellatur Montalus, atque abest a Mutina passuum iii. millia. Castra ibi Hispani, Neapolitanique faciunt. Postero die Gagius decurionem exercitus cum satis validâ peditatus, atque equitatus parte præmittit, qui castra exploret Austriacorum, & loci naturam cognoscat. Quibus cognitis rebus, exercitum confestim in eam partem adducere, ubi item est in agro Mutinensi vicus, quem Bonumportum appellant, atque inde in hostium castra triplici instructo agmine irrumpere, eodemque tempore, summissis militibus, atque operis, quæ cum iis ratibus, quas carris

DE BELLO ITALICO;
carris devehebat , pontem in flumine
Gabello extemplo perficerent , hostes
ab tergo adoriri Gagius meditabatur,
ancipiti ipsos prælio distractos facilius
opprimi posse sperans . Hæc cum ille
cogitaret , atque ageret maxime ; ecce
subito ab Hispaniarum Rege nuncius
apparet cum literis : debere Philippum
Regis F. in Genuensium fines quam-
primum se conferre ; properaret cum
illius exercitu suum Gagius conjunge-
re , omniaque posthaberet . Quibus li-
teris acceptis aggrediendi hostis consi-
lrium depositum est , susceptaque de-
itinere , concilio statim advocato , de-
liberatio .

Dux Mutinensium concilio , sum-
mæque rerum imperatorio nomine præ-
erat . Is rectâ eundum Novas esse ar-
bitrabatur , Genuensium oppidum in
Gallâ Cisalpinâ plenum , atque opu-
len-

lentum, & Philippici exercitus propinquitate opportunum: assuetum se se iis circum Mutinam locis; non viam se certe nosse ullam aliam, qua exercitus ire, impedimentaque supportari possint: sibi quidem persuaderi magni animi rem esse, magnæ difficultatis propter asperitatem viarum, hostis propinquitatem, occultandi consilii desperationem: sed nihil esse virtutis arduum; cumque Regi parendum necessario sit, entendum esse ajebat, etsi aliquo accepto detimento, ut eo, quo Rex juss erit, mature cum exercitu perveniat. Porro erant, qui Bononiam statim, atque in Pontificis provinciam regredi censerent, quod facilem ibi commeatum, iter denique non incommodum ad inferum mare, Cosarumque oram esse arbitrarentur, &

salvum inde exercitum cum omnibus
impedimentis unâ in Liguriam navi-
gatione posse transmitti demonstra-
bant. Gagius utramque improbabat
sententiam , quantum alteri deesse con-
silio, tantum alteri superesse animi
dicebat . Qua enim fiducia , aut qui-
bus copiis Novas perveniendum ?
lxx. circiter millia passuum interce-
dere itineris asperi , atque difficilis :
ipsum a Placentia Apenninum tran-
scendendum : subesse rivos , amnes ,
nobilitatum Gallorum fugâ , victoriâ-
que Tarum , Romanorum clade Tre-
biam ; tempus adversum , maximas
aquas , longum iter , & corruptum ,
impeditum agmen : instare ab una
latere hostes , qui agmen assidue no-
strum peragitent ; ab altero montes
assurgere gelu , pruinaque oppletos :
vix quinque dierum cibaria superesse :
in

in tantis angustiis ecquam esse militibus spem posse inopia, & lassitudine confectis, montibus, atque hoste circumclusis? magnopere se quidem Mutinensium Ducis perspectam jam in maximis rebus laudare virtutem, cui nihil arduum videatur: sed esse in bello non minus consilio, quam virtuti locum, eaque propter cendum esse, ne temere progressis, aut certum exitium, aut turpis impendeat exitus. Reditum vero in Pontificis provinciam quid habere, nisi inopiam cibariorum, & militum fugam, & discrimen omnium rerum? Ecquam enim fore copiam, si loca repetantur nostrorum, hostiumque inveteratis jam castris exinanita, atque exhausta? milites autem, qui, cum ad hostes itur, alacres, atque erecti vadunt, demittere, cum rece-

20 DE BELLO ITALICO,
datur, animum, & facta receptus
mentione, statim de fugâ, victoriæ,
prædaque desperatione incitatos cogi-
tare. At illud, cuius tandem con-
siliï esse? Neapolitani Regni robur,
Hispanorum florem, totius belli spem,
atque eventum mari, & fluctibus
committere? præsertim cum omnia litt-
tora, portusque tanta diligentia a Bri-
tannicis classibus asserventur. Postre-
mo afferre se, quod tutius, atque
explicitius consilium videatur. Præ-
missurum enim statim Bononiam Pin-
caronium Præfectum Fabrûm firmo
cum præsidio, qui ea via celeriter
tormenta omnia, & quidquid in exer-
citu gravis, atque infirmi est, in He-
truriæ maritima adducat, indeque
idoneam nactus tempestatem, & Li-
gusticam oram legens neque ad unum
locum appellat, neque uno comineatu;

quo

quo fallere melius Britannos, atque effugere possit. Ipsum interim, qua proximum est iter, cum expedito, ac delecto agmine per Apenninum, Lunensemque agrum in Genuensium fines perventurum: neque defuturos exercitui commeatus, cum, trinis viæ castris superato Apennino, Lucensium campi occurrant integri & fertiles, qui pabulo, frumento, pecore, & omni rerum copia juvare exercitum queant. Hæc vicit in concilio sententia; cuius sententiæ hæ erant certæ opportunitates, quod præmissa tormenta ab omni hostium impetu, Pincaronii celerima profectio defendebantur, quem assequi cum unius diei iter antecederet, illi profecto non poterant; & quod oppositus obstabat Apenninus, quominus reliquum insequerentur exercitum. Neque præterea verisimili-

DE BELLO ITALICO,
simile erat Lobcoviczium a Gallia Cif-
alpina, atque ab Rege Sardiniae lon-
gius abduci velle, animis Genuensium
tum incertis, atque Philippi, Gallo-
rumque copiis ingruentibus.

Gagius cum omnem in celerita-
te positam rem videret, concilio vix
dimisso, tormenta, atque impedimen-
ta omnia silentio prima nocte ex ca-
stris Bononiam confestim præmisit,
ac conquiescere ante iter confectum
vetuit. His Pincaronius Præfectus
Fabrūm cum equitum, peditumque
millibus v. missus præsidio est. At
ille cum ad Scultennam amnem per-
venisset, qui ea nocte ex maximo
imbre admodum creverat, simul iis
temere credens, qui vado amnem
transiri posse negabant, iter suppri-
mit. Quod ubi Gagius cognovit de-
curionem statim exercitus misit, qui
homi-

hominem severius commonefaceret , uti
acceleraret . Quo facto vadum in flu-
mine repertum est . Periculum erat ,
ne , si tam subitam Lobcoviczius pro-
fectionem sentiret , multo breviore
itinere Pincaronium assequeretur , eum-
que interciperet . Ita unius hominis
foccordiâ parum abfuit , quin tor-
menta omnia , atque exercitus impe-
dimenta in hostium potestatem veni-
rent , totiusque rei consilium deperi-
ret . Interea Gagius cum expedito ag-
mine e conspectu Austriacorum evo-
lavit . Lobcoviczius Pincaronii profe-
ctionem non fenserat , Gagium vero
ne profectum quidem esse existima-
bat , sed eo tantum excessisse arbitra-
batur , ut paulo ultra eum locum
castra transferret . Qua de causa , pri-
mi diei mora illata , deinceps , reli-
quum frustra laborem suscipi intelli-
gebat ,

gebat , cum jam neque Pincaronii iter demorari , neque Gagium consequi , neque etiam extremum ejus agmen carpere posset . Dicitur eo tempore Lobcoviczius tantam esse celeritatem , reique militaris scientiam in ipso hoste admiratus . Ea est magnoruim facinorum vis , atque species .

Apennino , qui ab alpibus maritimis , supraque Genuam initium ducens , omnem Italiam discriminat , ii quoque montes annexuntur , qui Mutinensem agrum meridiem versus a Lucensi dividunt , Balista quondam , & Letus apud Romanos appellati , nunc a peregrino quodam , quem suinmo apud Scotos loco natum austere , & solum plures ibi annos vixisse ajunt , D. Peregrini montes dicuntur . Ferebatur eo Gagius triplici instructâ acie . Facile a principio

cipio iter , atque amœnum . Colles as-
surgebant leniter acclives . Ubi ad aspe-
ra , ac montosa ventum est , sarcinaria
omnia jumenta defecere , adeo ut ciba-
ria ipsi sibi milites supportaverint . Ac-
cidisse id satis constat eorum improbi-
tate , qui vecturas de Regibus redi-
munt ; propterea quod , ut suo priva-
tim compendio servirent , jumenta co-
emerant macie corrupta , neque ad
superandos montes idonea . Atqui
ejusmodi ærarii depopulatores , postea-
quam ex egestate , ac fôrdibus per-
misso jam latrocinio emerserint , ad
opes , atque ad honores obrepunt non
sine Regum pernicie , & justissimâ
populorum querelâ . Cum , uti dictum
est , in tres partes distributus Gagia-
nus Apenninum superaret exercitus ,
dextera quidem , sinistraque pars , quod
molliore itinere montem circuibat , fa-

DE BELLO ITALICO,
cile progrediebatur. At media acies, in qua Dux ipse Mutinensium, & Gagius erant, loci iniuitate, miserè admodum divexata est. Nam quod duces itineris nacta esset imperitos, per devia, atque asperiora incedebat, nullumque neque ordinem, neque imperium servare poterat, & quod rectâ montem adversus peteret, ægrius necessario ingrediebatur, quâque diffilior erat aditus, atque præruptior. Tum iii. ferme millium passuum via adeo gelu constrata erat, ut, nisi discussâ glacie iv. in altitudinem pedum, insistere miles non posset, & complures nihilo secius prolaberentur, præcipitesque agerentur per lubricas illas montium altitudines. Ipsi ante primos ordines ibant Imperatores, Dux quidem Mutinensium pedes, Gagius vero, cum podagræ doloribus ureretur,

tur, equo insidens, & cohortabantur suos, ne labori succumberent, neve animum tot præliis, atque hostibus invictum in tantulo non facillimi itineris spatio desponderent. Imperatorum vocibus, atque exemplo tantum militibus incessit itineris conficiendi studium, ut in summum jugum incredibili labore, ac perseverantiâ conriterentur; ex eoque properantes descenderent, atque ad Castrum novum, qui non ignobilis in illis montibus vicus, & totius Capheroniæ provinciæ caput est, subito pervenirent; adeo ut qui Montis Alphonsi arci, quæ vico imminet, præsidio erant Austriaci milites, cum nihil tali suspicarentur, & incuriosè observarentur in foro, prius captam arcem, seque captivos senserint, quam appropinquare hostes cognoverint; quorum

28 DE BELLO ITALICO,

indiligentia Gagianis admodum profuit: Nam parva licet arcis oppugnandæ mora maximo fuisset ipsis detrimento, cum necessariis omnibus rebus egerent, atque extremâ jam fame laborarent.

Tam improvisum, tamque difficile per Apenninum Gagii iter cum late fama vulgasset, magna apud otiosos rerum æstimatores controversia extitit, cum alii temeritatem hominis carperent, qui suas eo copias conjectisset, ubi esset ipsis, & fame, & frigore pereundum; alii virtutem, atque immersabilem difficultatibus animum extollerent, Annibalique alpes perrumpenti adæquarent. Ita, variantibus hominum studiis, sententiæ quoque variantur, deque rebus nemo confidentius judicat, quam qui eas ignorat. Ego sicut non parum virtuti tribuerim-

buerim Imperatoris, ita non multum consilio detraxerim, quod præsertim fortuna comprobarit. Fœda enim tempestas, quæ per eos ferme dies conoriri constanter in iis locis, atque ingentem decidentium nivium vim circumferens, deprehensos in itinere homines opprimere solet, cum vix milites ab Apennino descendissent, subito, vehementissimeque insurgere cœpit: ita ut exiguo tempore magno casu totius exercitus salus constiterit.

Captâ Montis Alphonsi arce, Licensium finibus appropinquabat exercitus, quod ubi est auditum, insolentes homines belli, &, quorsum tam repentinum, atque ab hoste, ut videbatur, diversum iter evaderet, ignari (id quod in ejusmodi rebus necesse erat) perturbati vehementer sunt. Nam quanquam usitato jam a principio belli

30 DE BELLO ITALICO,
belli instituto Reipublicæ prudentissimo parem Lucenses Austriacis, Borboniisque voluntatem ostenderant, nihilque fecerant, dixerantve, quod alteros contra alteros juvaret: tamen prudentiæ non semper fortuna comes per idem ferme tempus tulerat, ut homines a potente quodam Româ summissi, Hispaniensem in agro Massensi tabellarium deprehenderent, ac dispoliarent, & publicas potissimum literas interciperent. Quo facto in fines se se Lucensium receperant; atque eos qui Montignosii oppido præerat, cum apud illum de injuriâ, quam sibi factam esse a latronibus putabat, vehementer esset tabellarius conquestus, comprehenderat, præfectoque arcis custodiendos trididerat, Senatumque eâ de re certiorum fecerat. Senatus, quod eos latro-

trocinii insimulatos, latrones esse existimaret, literas quidem tabellario confessim reddi, ipsos in vinculis habendos videri censuit. Postea vero quam illi diplomata ostenderant, quibus eos esse milites compertum est, Senatus cum omnia ubique hostibus in hostes licere jure belli intelligeret, cumque non in sua provincia facinus admissum esse constaret & literis redditis satis Borboniis factum esse arbitraretur, Austriacos milites solvi extemplo, liberosque abire iusfit. Erat æquitatis, & prudentiæ consilium plenissimum. Non defuerunt tamen, qui literis, nunciisque Senatum apud Reges populari inducti rumore criminarentur. Adeo nihil est a calumnia intactum, multoque plures sunt, qui reprehendant, quam qui laudent.

At ne in animis Regum utriusque partis suspicio hæreret falso injecta, ad Reginam Ungariæ Carolus Mansius, ad Regem Sardiniæ Joannes Sardinius, Neapolim Laurentius Deodatus, atque in Hispaniam usque Andreas Sbarra ex S. C. missi sunt, eisque mandatum, ut Reipublicæ causam Regibus probarent. Harum vero legationum exitus adhuc erat incertus, cum, uti diximus, Lucensium finibus appropinquaret exercitus, civitasque suspensa metu, ac solicita esset. Cum autem in timore multa fingantur impunius, omnia credantur facilius, eo factum est, ut nonnulla temere vulgata timere Lucenses cogerentur, quæ quidem non timuissent, si conscientiæ potius suæ, quam temporum rationem habuissent: ne videlicet Reipublicæ vis aliqua infer-

ferretur, neu milites in eorum agris maximo cum detrimento diutius versarentur, neu denique multa necessario quodam armatorum hominum impetu acciderent, quæ ne prudentiâ quidem corrigi possent. Augebat timorem, quod nullæ Ducum essent literæ, quæ de ipsorum adventu certiorem Senatum facerent, itaque inimico animo adventare magis, magisque dicebantur.

At Lucenses, ut aliquam in repentino tumultu dignitatis, ac salutis rationem habere viderentur, Montanos, qui in eorum ditione sunt, genus hominum militiæ aptum maximè, summâque erga Rempublicam fide cognitum ad se vocaverant, eos armaverant, custodiendæque urbis sexviros creaverant. Interea Imperatorum literæ venere adventum nunciantes. Ita-

que paulo quietior Senatus Franciscum Bernardinium ad Borbonii exercitus Imperatores, & Ducem impensis Mutinensium misit, qui eos ad Castrum usque novum in castris conveniret, diceretque: egregium semper fuisse, & esse erga Borbonios Reges Senatus Populique Lucensis animum: minus ob eam rem se se ab eorum adventu timere, quos optimâ fide dilexerint: esse potius, cur gaudeant, venisse tempus, quo suam Lucenses erga Borbonios voluntatem verbis toties, legationibusque testatam, re tandem ipsa declarent: nihil ea propter esse, quod in eorum potestate sit, quod non ipse fortissimis Imperatoribus ex auctoritate Senatus polliceri & repræsentare etiam possit. Illi tam liberali oratione, promissorumque spe deliniti, cum exercitum haberent fri-

gore,

gore, fameque fere enectum: non sibi, non Regibus suis in animo esse, responderunt, quicquam adversus Rempublicam moliri: militarem tulisse rationem, ut necessario per eorum fines iter facerent: curarent ipsi, ne commeatus deessent: se se daturos operam, ut milites sine maleficio, & injuria transeant. Quibus rebus cognitis, omnis Senatus cura eo conversa est, ut commeatibus extemplo consulentre tur, utque Cives eligerentur idonei, qui ea diligenter curarent, quæ ex usu Borbonii exercitus esse cognoscerent. Quo facto ex omni agro, & vi co, pabulum, & cibaria in Borboniorum castra comportabantur, omniumque rerum copia portabatur undique, atque agebatur plenissimis viis. Idque eo erat mirabilius, quod Lucenses angustis agris, minimeque frumentariis

utantur; tempus autem esset anni difficillimum, quo neque frumenta in horreis sunt, neque multum a maturitate absunt; & milites, qui in florissimis provinciis in maximis sese fuisse difficultatibus recordabantur, non sine suam admiratione videbant diligentia, ac fide parvas augeri res posse, magnas contra dilabi, si pravè administrentur. Cum Hispanus, Neapolitanusque exercitus ad sextum ab oppido Lucâ lapidem pervenisset, Senatus eo statim Cæsarem Santinium proficisci jussit, qui cum Duce imprimis Mutinensium, cæterisque Imperatoribus ageret, quemadmodum ex officio ac dignitate Reipublicæ esse intelligeret. Quibus rebus confectis ita a Lucensium finibus discessum est, ut milibus Lucenses, Lucensibus milites accepti essent; Reipublicæ in administran-

strandis rebus solertia ab omnibus collaudaretur; Neapoli autem, atque in Hispania Legati ejus comiter ab Regibus acciperentur: & qui jam veritate rei commoti, Legatorumque officiis secundum Rempublicam judicaverant, tum vero his auditis, omnem de tabellario suspicionem ex animis delerunt suis.

At Gagius nihil in itinere moratus per Lunensem agrum Sergianum pervenit, primum quod est ab ea parte venientibus Genuensium Oppidum. Quatriduum ibi subsistere placuit, dum in flumine Macrâ pons efficeretur, & allevarentur milites, quos longum ex Mutina, atque arduum inter Appennini tramites, infestumque nivibus, & pluviis iter divexaverat. At magnâ Gagius solicitudine affiebatur, novis subinde difficultatibus objectis.

Ma-

Macra vicinis montibus rapidum flumen, tuncque etiam ex nivibus, imbrisque maximum erat; & pons in eo confieri difficilis propterea videbatur posse: loca excipiebant horrida, & saltuosa, latebrisque, & silvestribus tramitibus prærupta, quo certe ex militari progrediendi consuetudine, atque ordine adiri non poterat, idque erat incommodum, & periculosum maxime cum præsertim Austriae, si ab Apuanis montibus descendarent paucis immisis equitibus, omnem male habere exercitum, & facile etiam possent errantem, & defatigatum opprimere. Ac jam ut nullus ab hoste metus esset, non pabulum in vastis locis, atque inanissimis non frumentum erat: non denique certus tam incerti itineris dux. Una omnium erat in Genuensibus rerum spes, quorum

rum obscura adhuc voluntas, & conscripto nuper exercitu suspecta videbatur. Infirmæ erant Hispanis, Neapolitanisque copiæ, v. millibus cum Pincaronio distractis, compluribus labore confectis, nonnullis fugâ dilapsis. Philippus vero Hispaniarum Regis F. sociique Galli, quibuscum se se conjungere Gagius properabat, adeo non properabant ipsi, ut incredibili torpescere morâ viderentur. Erat ipse præterea Gagius sive ætate, sive naturâ, sive etiam consiliorum, quæ omnia semper ab Hispania usque afferebantur, expectatione cunctator, magisque timens adversa, quam sperans secunda, adeoque omnia consilio tribuens, nihil ut fortunæ relinquere videretur velle, quæ tamen in bello plurimum potest.

Sed cum esset Gagius in quibus

bus demonstravi curis, atque angustiis, multaque hominem solicitum haberent, atque anxium: commodum ad eum, & Ducem imprimis Mutinensium Genuâ venit missus ab Senatu Josephus Auria, qui bono illos esse animo juberet, & pacata omnia ab Genuensibus, benignaque ipsis, militibusque eorum ex auctoritate renunciaret. Missus unâ cum Josepho Auria Vinsonius fuerat Trib. mil. in exercitu Genuensi, illarumque peritissimus homo regionum, qui Hispanos, Neapolitanosque faciliore per montes, saltusque duceret viâ. Hoc primum in illo itinere Gagii animum erexit, ex eoque primum fieri quædam ad meliorem spem, inclinatio visa est. Simul omnibus locis comedatus imperabantur, describebantur vecturæ, frumentumque, & pabulum
(quod

(quod erat tamen perexiguum) comportabatur , nihil denique reliqui ad opus , patientiamque Ligures faciebant : Qui industrii homines , ac diligentes , quod plerumque in sterili agro evenit , multâ duritie , improboque labore naturam vincere velle locorum videbantur . Nunciatur etiam Gagio discessisse a Mutinâ Lobcoviczius , cuius discessu futuros Austriaeos ad insequendum tardiores videbat . Jamque tandem Philippus , & Galli parare iter dicebantur , & pons , qui demissis in flumine trabibus bipedalibus , & conjunctis inter se lintribus properabatur , penè erat perfectus . Itaque cum de hostibus , deque sociis ea , quæ optabat , audiret , & Genuensium copiis exercitum sublevare suum posse non nequicquam sperraret , exquisito per Vinsonium itinerare

42 DE BELLO ITALICO,
nere non diù commorandum sibi esse
Gagius existimavit.

Interim Lobcoviczius, quem supra
demonstravimus delusum a Gagio fuisse, hoc incensus ludibrio, cum bellum etiam fastidiret, quod inopiâ supplementi, ac pecuniæ haud quam administrari ex sententiâ posse videbat, relictis ad Mutinam castris, Mediolanum contendit. Et palam quidem evocari se illo Mediolanensis provinciæ, cui præerat, procuratione necessariâ dictabat; clam vero cum Lucâ Pallavicino colloqui, eumque sibi omnibus conciliare modis meditabatur. Hunc jam inde a principio belli Veltorni iratum sibi æmulatione imperii, & opinionum dissimilitudine, & quem Viennam tunc cogitare acceperat, exulcerato discedere animo nolebat. Ipsi sum esse cupidum rerum novarum,

ma-

magni ingenii , magnæ etiam apud Reginam propter libertatem quandam ingenuam sentiendi , & Taroccæ Comitis Lusitani gratiam authoritatis cognoverat . Itaque dissimulans quam poterat humanissime appellabat , eumque facilitate , obsequioque illicere ad benevolentiam conabatur . Non tamen facere potuit , quin Viennam ipsi proficiseretur infensus , ibique italici belli incommoda omnia in unum conferri Lobcoviczium oportere diceret , cuius in imperio socordiam contemnerent hostes , acerbitatem horrescerent milites . Quæ cum Pallavicinus vocifera-
retur , amici autem Lobcoviczii , ut plerumque fit in calamitate , silerent , cumque ipsius in bello infelicitas non levissimum in Imperatore peccatum , admodum vulgo carperetur , Regina de successore deliberare instituit . Quâ

DE BELLO ITALICO,
ille re cognitâ, provinciam bellumque
reliquo deinceps tempore administra-
vit ita, uti solent ii, qui successo-
rem expectant.

Principe Lictestenio, qui Lob-
coviczio succederet, delecto, exer-
citus, quoad ille veniret in castra,
traditus Comiti Sculemburgio est.

Statim Sculemburgius per Apua-
nos montes equitum, ac peditum
levis armaturæ partem mittit, qui
Gagii iter cognoscant, infestumque
excursionibus habeant: ipse cum omni-
bus copiis, quæ Germanicis nuper,
& Sardiniensibus adauctæ subsidiis es-
se ad hominum millia xx. dicebantur,
per agrum Parmensem, ac Placenti-
num iter fecit, caltraque ad Novas,
quod esse oppidum Genuensium di-
ximus in Galliâ Cisalpinâ, locavit:
ut Genuenes quocunque animo es-
sent,

fent, scirent Reginæ Ungariæ exercitum versari in finibus suis, & Sardiniae Regem socium, atque amicum maxime conjunctum haberet, cuius consilio, atque opibus adjuvari se posse arbitrabatur: Castra autem opportuno loco essent ad commeatus parandos, omnemque Cisalpinam late Galliam tuendam.

Properabat Gagius, ut quamprimum Macram trajiceret, ne in ipso trajectu occuparetur ab hostibus, quos Mutinâ profectos magnis Parham versus itineribus contendere audierat. Itaque, ponte perfecto, signum datur profectionis. Cum subito aquæ magnitudine, ac rapiditate amnis, maximo noctu coorto imbri, pons interrumpitur. Erat enim pravè institutus; propterea quod immisæ in alveo trabes bipedales, de quibus

ante

DE BELLO ITALICO,
ante dictum est, non satis erant fir-
mæ ad vim fluminis refringendam,
quod præsertim proximo ex Apenni-
no decurrens majori se se impetu in-
citaret. Quæ res quam dedit hosti-
bus ad insequendum facultatem, no-
stris ad exercitum celerius transportan-
dum ademit. Postridie ejus diei, qui
fuit dies ad v. non. Maj. noster
transduci exercitus eo festinatius, at-
que ipsis urgentibus Imperatoribus
cœpit, quo constantior de adventu
hostium fama perferebatur. Ratio,
ordoque agminis erat ejusmodi. Præ-
cedebant agmen equites, peditesque
levis armaturæ, qui totius exercitus
impedimentis, quæ in primâ acie
agebantur, præsidio erant. Inde in
primâ item acie peditatus, & equi-
tatus ferme omnis progrediebatur;
tum secunda acies ex legionariis tan-
tum

rum militibus confecta sequebatur, quam Reginæ Hispaniensis Manus, Regiique equites, & Pyrochitrophorum centuriæ aliquot cludebant. Multo denique die & nostri exercitus prima acies transierat, & Austriaci cernebantur, qui amplius octingenti, Gorano Duce impigro homine, atque audace, præmissi a Sculemburgio, qui nostrum agmen lacecerent, ab Apuanis montibus descenderant. Nati quædam propter amnem Macram ædificia, quorum muris defenderentur, subito nostros, qui citra flumen erant, adorti sunt illud spectantes, si eos ab reliquo abscisso ex exercitu prohibere transitu, aut, ne pontem interrumperent, impedire possent. Id cum animadvertisset Comes Sevius Legatus, qui secundæ aciei præerat, quæ quidem acies angustiâ ponti

pontis , & dissensione militum diversarum nationum paulo tardius proccferat , Gorano Pyrochitrophorum centurias octo opposuit , quæ virtute , ac perseverantiâ tantum profecére , ut hostium impetum substinerent , & quietiorem nostris transitum darent ; ipsæ demum multis illatis , & acceptis vulneribus se se ad agmen reciperent . Imminebant nihilominus hostes , atque instabant acerrimè ; jamque pontem ingressi , qua noster erat traductus exercitus , sese quoque transituros minitabantur . Sed repulsi multitudine telorum , quæ ex dispositis in adversâ ripâ tormentis quatuor sine ullâ intermissione trajiciebantur , temerario destiterunt incœpto . Relinquebatur , quoniam exercitus partem transeuntem prohibere non potuissent , ut pontem interfundi prohiberent , idque conabant-

bantur. Nam jaculis nostros submovebant crebrerrimis, nonnullosque subire ausos interfecerant, plurimos vulneraverant. Cunctantibus eâ de causâ nostris, languidiusque ad opus venientibus, unus de exercitu Neapolitano Signifer legionis Hibernicæ, quem postea Carolus Rex hujuscē facinoris causâ ab inferiori ordine ad Centuriatum traduxit, non suorum cæde, non periculi magnitudine deterritus cum quatuor omnino militibus prorupit audacissime, & inspectantibus trans ripam hostibus, inter tela, jaculaque pontem rescidit. Quo facto, ipse cum suis se ad exercitum incolumis adnando recepit. Ut quantum ad periculum adeundum audacia, tantum, quæ plerumque adjuvat audaciam, fortuna ad vitandum valuisse videretur. Traducto exercitu

Gagius resciſſo ponte, atque hostibus repressis ante primam conſectam vi- giliam Spediam eodem die venit. Id oppidi nomen eſt. Hoc fere eſt in intimâ portus Lunensis parte poſitum. Hujus amplitudo portus, ac pulchri- tudo nulli non cognita naviganti eſt, qui duobus eminentibus promonto- riis continetur, objectamque haber insulam, quæ illum ab effervescentis maris impetu, & quibusdām protegit ventis.

Postero die Gagius nuncios ad Philippum celeriter mittit, quibus re- gionibus eſſet, & quid militum ſe- cum haberet: negavit cum iis in Galliam erumpi Cifalpinam poſſe: orat, ut acceleret. Ipſe præmissis ad hominum millibus iii., qui ad Se- gestam Tiguliorum aditus occupa- rent, ne qua fieret ab eā parte in diffi-

difficillimo itinere irruptio hostium repentina, per illam Ligustici maris oram, quæ ad Orientem est, iter facere cœpit.

Erant, ut supra demonstratum est, loca aspera, & saltuosa, angustisque tramitibus, altissimoque in mare despectu horrida, & quod eas ad regiones pertinerent, in quibus hostes versabantur, valde infesta, ac suspiciosa. Erat præterea summa inopia pabuli & propter ipsius agri naturam, & quod angustius nostri pabulabantur, adeo ut pabulo mari supportato, hordeoque, & quacunque ratione poterant tolerare equos cogerentur. In his angustiis Gagius, cum prope Segestam Tiguliorum in arduâ necessario substitisset convalle, & quacunque procederetur iniqua, Josephum intuens Auriam, qui Im-

52 DE BELLO ITALICO,
peratores nostros officii causâ prose-
quebatur, non iis se certe locis com-
missurum fuisse dixit, nisi plane Ge-
nuensibus consideret: Tum Auria,
recte, inquit, Imperator, Genuen-
sium te fidei commisisti, quibus jam
uti sociis, atque amicis potes; se-
cretoque illum de Genuensium cum
Borboniis facto jam pridem in Hi-
spaniâ foedere monuit: Tumque pri-
mum de foedere isto Gagius cognos-
visse dicitur. Nam ante id tempus
rumore potius quodam, cui servire
Imperatorem non decet, percrebuerat,
cum Borboniis consentire Genuenses,
quam procerto posset afferri. Hoc
quidem nuncio, auxiliique Genuen-
sis spe confirmatus reliquum confi-
cere iter pergebat, eoque alacrior,
quod multum de inseguendi con-
tentione ipsi jam hostes remiserant,
qui

qui satis habebant minoribus nos subsequi itineribus , & rari tantum , dispersique in summis procul jugis apparebant , ut nostrum observare iter , non demorari velle viderentur .

Atque hic non alienum videtur Genuensis belli causas a principio proponere , tum quod , cognitis causis , reliqua facilius intelliguntur , tum vero , quia res ea est , adeoque celebrata sermonibus , ac literis omnium gentium , ut scriptionem paulo diligentiore , atque in parte operis procœnum quasi quoddam postulet . Nam bellum Genuense tanti momenti fuit , ut maximam non modo Italiam , sed omni etiam Europam consiliorum , atque rerum commutationem attulerit ; tantâ autem virtute gestum est ab eâ Republicâ quæ longâ

54 DE BELLO ITALICO,
longâ deses pace videbatur, ut vetu-
stis Romanorum temporibus gestum
videatur; sic a nobis porro integre,
sincereque narrabitur, ut non magis
apud posteros habiturum sit propter
rerum magnitudinem admirationis,
quàm fidei propter veritatem.

Belli causa Finarium fuit, oppor-
tunissimum ad Ligusticum mare op-
pidum. Carretti generis homines an-
tiquitus habuere. Genuenses porro,
qui eâ tempestate Orientis opibus
clari, ac potentes habebantur, op-
pidum a Carrettiis aliâs pretio, aliâs
fœdere, aliquando etiam jure belli
recepérant, receptumque iis, cum
terrestre ipsi Imperium in Orientem
distracti fastidirent, imperatis certis
rebus condonaverant. Perlongo de-
inceps intervallo gravissimæ inter Fi-
narienses, & Alphonsum Carrettium
Re-

Regulum controversiæ obortæ sunt, cum indignarentur illi avarè sibi ab Alphonso, adeoque superbè imperitari, ut ferendus non videretur. Hic contra Finarienses insanire diceret, qui rebellione factâ ab Imperio, obsequioque discederent. Finarienses Genuensium, quorum in vetustissimâ clientelâ erant, opem implorant: Alphonsus Cæsarem adit, eumque orat, ut pro sua Imperiique Romani auctoritate seditionem comprimat. At illis omnibus jure inter se diu, multumque disceptantibus, subito Gabriel Cueba, qui pro Rege Hispaniæ Mediolanensem tunc provinciam obtinebat coactâ militum manu, Finarium armis occupat, idque propterea factum esse pronunciat, ne Galli Hispanorum eo tempore hostes per causam dissensionum ad oppidum obren-

56 DE BELLO ITALICO,
perent. Cæsar Imperatoriam in eo
Majestatem minui prædicabat ; nec
Genuenses, ad quos oppidum perti-
nebat , hâc acceptâ injuriâ Senatus-
consultis , legationibusque sibi deerant .
Sed cum Cæsari neque animi , neque
virium satis esset ad jus suum perse-
quendum ; Genuenses autem querelas
tantum jactarent nihil sine armis pro-
futuras ; iique essent in Italia rerum ,
atque temporum motus consecuti , ut
Finariensem ab iis intermitti curam
oporteret ; Finarium ad Hispanos trans-
iit , ab iisque ad Carolum Sextum
Cæsarem unus virilis sexus , qui re-
liquus Austriacorum erat eorum , qui in
Germaniâ , & eorum qui in Hi-
spaniâ ducentos ferme annos regnave-
rant . Huic grave , ac diuturnum cum
Philippo Borbonio bellum fuit , pro-
pterea quod Hispaniæ , atque Italiam

Re-

Regna, quæ Caroli Secundi Austriaci fuissent, sibi Austriaco eripi iniquum putaret. Pax ita tandem convenit, ut Carolo Cæsari Italia, Philippo Hispania obveniret. Cæsarem interim cum maxima ex ejusmodi bello pecuniae urgeret inopia; Pontifex Valentinus, summus tum illi in consiliis capiendis auctor, vocat ad se Dominicum Spinulam Genuensis Reipublicæ Legatum, cum hoc agit: Si Cæsari Genuenses pecuniam dare, quæ sit quingenties HS., & acerba ipsum præterea molestia levare velint, pro ea pecunia, eoque beneficio Cæsarem Genuensibus Finarium tanto-pere ab ipsis expetitum restituturum. Legatus statim cupidius fortasse, quam oportebat, rem arripit, auri pondus Reipublicæ nomine pollicetur. Genuenses, quanquam & pecunia im-

manis erat, & Legatus temerè inconsulto Senatu rem transegisse videbatur, tamen, quoniam valde Reipublicæ intererat Finario potiri, respondent: Quod Legatus cum Cæsare de Finario egerit, id Senatum censere ratum, atque e Republicâ esse. Itaque præfens Cæsari pecunia adnumeratur. Finarium oppidum ad Genuenses eo jure reddit, ut ipsorum antiquitus Genuensium fuerit, & Hispanorum esse Regum dicebatur, deque eo disertè admodùm in quadruplici fœdere per potentissimos Reges Genuensibus cautum est. Eo tum statu res erat, cum repente novus extitit Finarii captator Allobrogum Dux, nullâ quidem causâ, quæ afferri posset, sed imperii proferendi cupiditate inductus. Horum familia Ducum belli ea quidem, pacisque artibus insignis est, sed ita insti-

instituta, ut pro animi magnitudine angustos se fines habere semper putet. Nam opimas Cisalpinæ Galliæ regiones naœta fœderibus, bellis, & loci imprimis opportunitate, quod emittere in Italiam transalpinas nationes, & coercere una dicatur posse, usque eo progressa est, ut regium ex Sardinia possessâ nomen adepta Italiæ omni imminere videatur. Unum ei deesse ad opes confirmandas videtur, paulo liberior, atque commodior ad mare aditus. Nam illa omnis, quæ in ipsius ditione est, circa Oxibios ora, importuosa est, atque ipse Oxbiorum portus difficilis, & magnarum navium minime capax. Eâ de causa insidiari Allobrogum Duces temporibus, insidiari finitimis, & potissimum Genuensibus, qui maritimi valde sunt, jampridem cœperant.

Genuenses etsi in Italiæ faucibus collocati, plurimas ad bellum italicum terrâ, marique opportunitates habeant, nihilosecius quieti, & quæ omnium ferè Italiæ Principum hoc tempore mens est, ut ne injuriis quidem exagitati ad arma descendant, imbelles, suis contenti finibus, sibi jamdiu vivere consueverant. Eregerat tamen illorum animos potius quam concitarat vicini nunquam non vigilantis magnitudo, atque assidua inter finitos æmulatio. At Carolus Emmanuel Sardiniæ Rex, cum a Majorum suorum virtute, atque institutis non degeneraret, acer, bellicosus, atque in omnem occasionem intentus superiore jam italicò bello Carolo Cæsari societatem ostentaverat suam, & societatis præmium cum multa alia, tum Finarium imprimis flagitaverat. Grave id
Cæ-

Cæsari , suâque fide , & majestate
indignum visum est , itaque nega-
tum . Ille ejusmodi irritatus offen-
sione cum Gallis , atque Hispanis ad-
versus Cæsarem conjurat . Bellum ge-
ritur . Sed pax repente consequuta
non commodissima illi accidit . Nam
cum Finarium speraret , omnem fere
Cisalpinam Galliam teneret , eâ dum-
taxat parte contentus esse cogitur ,
quæ ad Novariensem , & Dertonen-
sem agrum , Langarumque regionem
spectat . Avellit nihilominus a Ge-
nuensium finibus Regium , Altum ,
Capraunam , partem etiam Bardineti ,
partem item Carosii , quæ Genuen-
sium erat , sibi vindicat , eaque om-
nia ad Langarum spectare regionem
fidenter sane confirmat . Sunt illi qui-
dem pagi in montibus ignobiles , sed
erant Sardiniae Regi ad ea perficien-
da .

da, quæ jam tum adversus Genuenses meditabatur, maxime opportuni. Genuenses suos esse dicere, nihil ad Langas pertinere, possessionis vetustatem, Imperii etiam Romani jus proponere, vim queri, obtestari, legatos trans alpes usque ad Cæsarem, atque in Galliam mittere. Non audiuntur. Vicit enim, aut vis, ut fere semper, aut præsens utilitas, aut denique non ea causa satis digna visa est, quæ pacem, & sanctum jam fœdus convelleret. Mortuo Carolo Sexto Cæsare bellum statim inter Borbonios, atque Austriacos coortum est. Initio hujus belli Sardiniae Rex, armatus quanquam effet, nullam se tamen in partem movebat, quietem se, atque Italicæ libertati consulere dicebat velle; re autem vera expectabat, dum statueret

ret utrius partis esse mallet (nam ab utraque ingentibus pollicitationibus solicitabatur) eoque potissimum accederet , quo uberioribus præmiis invitaretur . Equiti Oſorio , quem Sardiniæ Rex legaverat jam pridem ad Britanniæ Regem , multa intercedebat cum Joanne Carteretio necessitudo . Is magnæ inter Britannos auctoritatis , atque ipsius Britannorum Regis suminus erat in imperio Administer . Carteretius , cum plane ex Britanniæ usu esse intelligeret , oportere Gallorum , qui perpetui Britannorum hostes sunt , nimias jam opes quam maxime infringi , atque immuni , Sardiniæ contra Regis augeri , & confirmari , ut ab eâ Galliæ parte , quæ illi finitima , atque etiam infirmior est , distinere ipse per se , atque adoriri Gallos posset ; Equiti Oſo-

Oforio, per eumque Sardiniae Regi persuadere omnibus modis conabatur, ut cum Britannis, atque Austriacis adversus Gallos, Borboniosque omnes consentiret. Homo solertissimus Oforius, & qui Regis sui mentem probè nosset, quasi recusaret quod vehementer optabat, Regem in eo suum excusare impensè cœpit, quod adversariorum potentiam, & belli exitus incertissimos vereretur: non iis illum esse divitiis, non viribus, ut Borbonios, qui valentissimi modo sint, irritare in se aut debeat, aut omnino possit: Austriacos tot in Germania detrimentis acceptis jacere: nolle illum, quod stultissimum est, alienam rem suo periculo curare. Sin autem insperata rerum commutatione, quod plerumque in bello evenit, & sociorum auxiliis se se Austriaci crexerint,
super-

ac superiores fuerint, tum vero illud
verendum esse, ne non sibi potius
Austriaci victores, quam sociis con-
fulant, atque his belli onus, sibi vi-
ctoriae usum reseruent. Contra hæc
Carteretius, omnia Sardiniæ Regi pa-
rata a Britannis esse demonstrat, ar-
ma, viros, pecuniam, magna mari
auxilia, magnos commeatus, quibus
copiis, atque opibus non esse cur
Borbonios hostes, atque incerta præ-
liorum tantopere Rex perhorresceret:
errare illum vehementer, si consi-
lium sibi capere separatim posse spe-
ret; evocato in Italiam, quod Au-
striacorum potentia imminutâ acci-
dere necesse est, Philippo altero Hi-
spaniarum Regis filio, ecquem Au-
striacis, ecquem ipsi tandem in Ita-
liâ locum esse putet? Eandem utriſ-
que causam esse, eandem fore for-

66 DE BELLO ITALICO,

tunam; multo etiam ipsi graviorem
subeundam esse, si Borbonii vicerint,
quem eorum undique viribus cir-
cumclusum, & fructuosissimis Cisal-
pinæ Galliæ regionibus mulctatum
in avitis alpium jugis regnare preca-
riò vix patientur: denique propo-
neret ipse societatis conditiones, &
quæ ab Austriacis postularet, inter-
positâ Britannorum Regis fide habe-
re certe confideret. Hæc acta in
Britanniâ, eademque Regi Sardiniæ
nunciata in Italiam celeriter sunt.
Et secundum ea multæ illum res
hortabantur, quare sibi societatem
cum Austriacis faciendam putaret:
imprimis, quod Borbonios consue-
scere paulatim in Italiam cum exer-
citibus transire sibi esse pericolosum
videbat: modo Carolum, nunc Phi-
lippum neque sibi homines magnis
impe-

imperiis, regnisque asluetos obtemperaturos existimabat, quin aliquâ Italiam provinciam receptam, ut paucis ante annis Carolus Rex Neapolis fecisset, subito ad majora contendarent. Suis autem rationibus magis conducere arbitrabatur Austriacorum humilitatem, quam florentem Borbonium statum; propterea quod Austriaci, & stare, ut miseri, conditionibus necessario coguntur (rejecti enim ab se, quo in Italia confugient?) & quae datus receperint, reapse dare extemplo possint. At illi alteri potentiores, & fidei facilè suæ obliviousentur, & libertatem prius eripiunt, quam promissa exsolvant. Postremo metuendum se Austriacis esse posse, cum metuere Borbonios certe debeat: imperii etiam commerciique ad mare proferendi

DE BELLO ITALICO,
viam ostendi, quod a Gallis Nar-
bonensibus, atque a Genuensibus
aversum traduci ad se incredibili uti-
litate queat. Ipsa autem Britanno-
rum societas, atque amicitia perop-
portuna videbatur, quod maxime
numinati homines, & mari potentissimi
essent, adeo ut bellum, & eo-
rum pecuniâ tolerari, & perfici etiam
possit. His de causis placuit ei, ut
literas ad Legatum suum in Britan-
niam mitteret: si citerioris Galliæ
partem aliquam Austriaci sibi extem-
plo dent, uti vanis promissis non
se duci intelligat, & si Finarium Ge-
nuensium oppidum attribui sibi, ali-
quâ interpositâ causâ, velint; item si
triginta hominum millia a pacto sta-
tim fœdere in Italiam mittere sibi,
Italiæque subsidio polliceantur, fœ-
dus se se cum iis. facturum esse,
eos-

eodemque, & amicos, & hostes habiturum, quos ipsi habeant.

Postulata Regis Sardiniae quam matrime in Germaniam ad Reginam Ungariæ perferenda curavit Britanniae Rex cum literis, quæ illam serio monerent conditiones ne respueret: suis rebus aliter consuli non posse. Reginam imponi sibi a sociis duriora querebatur, quam penè possent ab hostibus imperari, si victa discessisset: Finarium porro, quod Genuenses a Carolo Patre suo grandi numeratâ pecuniâ coemerint, eamque ipsa emptionem jure jurando firmaverit, Regi Sardiniae condonare turpissimum sibi, minimèque consentaneum esse demonstrabat. Quî enim convenire, ut ejus fidem ipsa convelleret, pro cuius hæreditate Patris bellum aceratum susciperet? Præterea cum tot hostes

hostes circumstent, atque immineant, non prudentissimè fieri dicebat, uti Genuenses ultro, ac sine certâ quâdam causâ commoveantur. Negabat Britanniæ Rex grave Reginæ videri debere exiguâ unius provinciæ parte redimere amicitiam ejus Regis, quo freta, & erepta in Italiâ recuperare speret, & reliqua omnia obtinere: neque fidei tam severè habendam esse rationem docebat, cum de regno, atque incolumitate agatur: Genuenses vero quid vereretur? Ignavos homines, timidos, neque in bellis gerendis, sed in mercaturis faciendis exercitatos, qui neque vires ad nocendum habeant, &, si attulerint, facili negotio coerceri, & proteri etiam possint. Tandem Regina vel Britannorum fatigata literis, penès quos & consilii, & virium erat auctoritas;

vel

vel suo etiam periculo admonita, ne Sardiniae Rex, ad hostes suos repudiatus delaberetur, cum eo societatem, & Britannorum item Rege iniire constituit. Itaque duorum Regum, & Reginæ Legati, Oforius rei fere omnis auctor præcipuus, & concitator Carteretius, & Ignatius Vasnerius Vormaciam conveniunt. Ipse adest Britannorum Rex. Sancitur fœdus: quo ex fœdere consilia, vires, arma, pecuniam conferre, bellum terrâ, marique gerere, in eoque perseverare universi tenerentur, quoad omni Borbonii Italiam pellerentur: triginta equitum, peditumque millia. Regina Ungariae, xlv. millia. Sardiniae Rex confecta, parataque in Italiam haberent: Britanni præter trecenties HS. quod singulis annis Sardiniae Regi in belli sumptum darent,

cum:

DE BELLO ITALICO ,
cum validâ , instructâque bellicarum
Navium classe infero mari navigarent ,
ut essent Italiæ littoribus præsidio ad-
versus hostes : quæ pars citerioris Gal-
liæ cis Ticinum , atque intra Nuram
amnis est , & nominatim Placentia ,
atque Bobium Urbes , quæque a
Nuræ amnis fonte prope Genuen-
sium fines ad lacum usque Verba-
num , atque Helvetiorum pagos per-
tingit , exceptis insulis , quæ sunt con-
tra Ticinum Urbem , ea omnis Sar-
diniæ Regi extemplo cederet ; Fina-
rii item recipiendi jus eidem potestas-
que esset : quæ bello Regna , quæve
provinciæ receptæ in Italiâ essent ,
eas sibi Ungariæ Regina haberet ; Bri-
tannis omnes Italiæ portus commer-
cio paterent , iisque ubi eis videretur
emporium aliquod constitueretur .

His de rebus quanquam secreto
apud

apud Vormaciam actis, atque constitutis primi in Italiâ Genuenses certiores facti sunt diligentia, ac literis Joannis Francisci Pallavicini, qui Reipublicæ Legatus Britannorum Regis salutandi causâ Vormaciam venerat.

Hoc loco non abhorret a proposito ea scribere, quæ de Genuensis cum ego quærerem, sic reperiebam: Homines esse navos, atque industrious; optimis legibus, libertate indomitâ; habere Urbem arte natrâque munitam, & mari, terrâque opportunam: maximas ex eo divitias atque opes quæsisse: Profligatis olim Pisaniis, attritis Venetis, magnum foris nomen, marique imperium obtinuisse; domi factionibus, proscriptiōnibus, cædibus, omnique seditionis genere laborasse: eam ob rem factum

74 DE BELLO ITALICO,
esse, ut angustis terrâ finibus ute-
rentur: non prius conquievisse, quâm
ante annis MCLXXVI. magnorum
Principum legatis arbitris convenirent,
eamque, quæ nunc est, Rempubli-
cam constituerent: Nobilitas regnaret,
plebs nullo numero esset. Nobiles ii
dicerentur omnes, quibus in Concili-
lum Majus aditus pateret: Concilia
duo Civitatis essent; Majus, Minus-
que vocarentur: legum condendarum,
vectigalium imponendorum, & non-
nullorum Magistratum creandorum
Majori potestas esset: de pace, ac
bello, deque omni Reipublicæ statu
Minus, adhibito Senatu, decerneret:
summa esset Senatus auctoritas: penes
ipsum, & Ducem, quo nomine ci-
vitatis Principem appellant, qui re-
gnum obtinet biennium, totius im-
perii species, ac dignitas esset: nem-
ni

ni præter Ducem cum Senatu, Conciliisque agendi fas esset. Dux igitur pro more, institutoque Reipublicæ ex literis Joannis Francisci Pallavicini ad Senatum, Minusque Concilium retulit. Patres, hoc accepto nuncio, varie afficiebantur. Erant præferocis ingeniī aliqui, qui bellum statim, arma, legiones, castra denunciarent, Borbonios socios accerserent, quorum opibus Sardiniae Regem deprimerent, Austriacos coercent. Imperiorum etiam in bello, & gloriæ cupiditate, ac spe incitabantur. Plerique naturâ, usuve rerum tardiores, seque, & Rempublicam circumspicientes a consiliis fortibus refugiebant: belli casus, ærarii damna, tributi nomen liberis præsertim civitatibus grave, mare infestum, hostem finitimum, socios longinquos cogitabant, atque etiam hos

hos ipsos suspectos habebant, & componi rem, aut mitigari posse sperabant. Nec deerant, qui dolerent potius Reginæ fortunam, quam insectarentur iniquitatem, & miseram dicebant, quæ hostibus æque, atque amicis prædæ loco esset, suaque, & aliena distrahere cogeretur.

In tantâ animorum varietate unum modo placuit dari negotium tribus prudentissimis viris, Paulo Hieronymo Pallavicino, Joanni Baptista Grimaldo, Jacobo Laumellino, qui rem Finariensem, præsentemque temporum statum etiam, atque etiam considerarent, & de eo quid eis videtur, ita ut e Republicâ, fideque suâ censerent, Patribus renunciarent. Ubi tota inter ipsos agitata res, & considerata est, eorum unus processit, atque ejusmodi in Minori Concilio sen-

sententiam dixit: Arduam esse rem,
multoque graviorem, quā in quisquam
existimare queat: imminere acerrimum
Regem, potentem, armatum, & de
Finitimorum pernicie dies, atque no-
ctes cogitantem: haberi ludibrio Rei-
publicæ conditionem, ad cujus op-
pida nullâ injuriâ commemoratâ, nul-
lis repetitis rebus, tanquam ad ali-
cujus projecti cadaveris spolia diri-
pienda vicini advolent: non Finarium
(quod gravissimum tamen esset) sed
per Finarium omnem oram mariti-
mam, ipsam peti Urbem, quæ si
mare, & peregrinarum usum mer-
cium amiserit, quod amisso Finario
accidere est necesse, egestati, ac soli-
tudini addicetur. Asperum esse, tri-
ste, durum spoliari, despici; verum
& illud imprimis providendum esse,
ne præsenti malo gravioribus malis
reme-

remedia adhibeantur: multa quidem in utramque partem cogitantibus occurere, quæ animum ita distrahant, ut ubi possit consistere, dijudicari vix possit: nam & in tantâ Reipublicæ calamitate, tantâque contumeliâ sedentem convivere flagitosum; & in varios belli eventus demittere sese paratioribus animis, quam viribus stultum esse, atque a Patrum gravitate, & constantiâ utrumque abhorrere. Unum esse in præsentia, quod tutum ad omnes casus consilium videatur, si ignaviâ omni, & cunctatione abjectâ excitetur pristina Genuensium virtus, si pecunia cogatur, scribantur milites, oppida, & Finarium impennis muniantur. Ita, si bellum placet, non posse Genuenses, ut quibus vires adsint, ab amicis repudiari, non contemni ab hostibus; sin quies, & neutram

neutram in partem inclinatio probatur,
fieri tum facile posse , cum utriusque
formidolosí , aut certe non laceſſendi
videamur , ut Reipublicæ dignitatem ,
& ſtatum in columem conſervemus .
Otioſis vero , atque incrimibus quid-
nam aliud proponi , niſi aut inopem
ſervitutem , aut calamitosum interitum ?
Patres , his auditis , frequentes decre-
verunt , ut milites quamprimum con-
ſcriberentur , atque augerentur , decem
ut ſint hominum millia ; rei militaris
periti duces evocarentur , Finarium ,
cæteræque in finibus Reipublicæ ar-
ces communitiores , atque inſtruções
terrâ , marique fierent ; item majo-
ribus lex comitiis ferretur , qua lege
ſexcenties HS. Finarii defendendi cau-
ſâ corrogetur ; itemque legatis Rei-
publicæ ſcriberetur , uti Regem , Prin-
cipemve , ad quem quisque eorum
lega-

legatus sit, convenient, causam Republicæ doceant, quo quisque animo Rex, Princepsve in Rempublicam sit, Senatui confessim rescribant. Interea Patribus placere parem Austria-
cis, Borboniisque voluntatem ostendi, & neutros eorum contra alteros juvari.

Hæc dum a Genuensibus magna curâ, & diligentia aguntur, Sardinia Rex, qui omnia attentè speculabatur, suspicari tum primum cœpit, Genuenses non patienter, neque remisse Vormaciensis fœderis injuriam laturos; itaque ut majus aliquod iis nomen opponeret, quo a belli apparatu deterrentur, cum Rege Britannorum agit, uti Rovelejo Britannicæ classis ad mare inferum Præfecto scribat: aliquem ex iis, qui navibus præsunt ad Senatum Genuensem mittat, ex eo-

eoque prope minaciter causam per-
cunctetur armorum. Rovelejus, ac-
ceptis mandatis Navarcum ire Genuam
jubet; qui statim aphracto in portum
ex alto invectus Ducem, Senatum-
que adit; & Regem mirari suum ve-
hementer dicit, quid causæ Genuen-
sibus sit, quare cum ab omni con-
tentione abesse testati toties fuerint,
bellum repente parent; postulare, uti
sibi, quæ Reipublicæ opes, quantus
sit exercitus accurate indicent: non
debere eum pati, qui Italiam ab ho-
stibus defendendam susceperit, novus
ut in Italiâ tumultus excitetur. Ei
orationi Dux respondit: Non tu-
multus, neque maleficii causâ exerce-
tum Genuenses conscribere, sed ut se
tantum muniant; adeoque delectus ab
iis intermitti nolle, ut angantur po-
tius, quod pro rei, & temporis gra-

vitate non satis fortassis magnam ma-
num cogere queant; cum præsertim
jura omnia permisceri nefario bello
videant: neque Italæ quietem magis
ad Britannos ultra Gaditanum fretum
submotos, quàm ad Genuenses per-
tinere, qui & Rempublicam in Italâ
obtineant, & non postremi Italorum
sint. Cæterum ab eo, quod institue-
rit, Rempublicam non recessuram, ut
medium se italico bello profiteatur.
Cujus rei testes ipsos haberet Britan-
nos, quibus a principio hujus belli
Reipublicæ portus, littoraque omnia,
omniumque ex iis rerum usus semper
tamque liberaliter patuerint, ut satis
consteret majorem in eo Genuenses fi-
dei, quàm commodi rationem ha-
buisse. Navarcus, hoc accepto res-
ponso, discessit.

Sub idem fere tempus legatorum
lite-

literæ venerant, quæ adversa omnia Genuensibus, infestaque apud Austria-
cos nunciabant. Nam & Regina Ungariæ vicem Reipublicæ multâ, at-
que inani miseratione cum prosequeretur, sua sibi tamen propiora peri-
cula esse, quam aliena loquebatur:
& Britanniæ Rex speciosum Italicæ libertatis nomen prætendebat, cui re-
mittere aliquid Genuenses de suis re-
bus non iniquum putabat. Sardinia-
autem Rex, non esse, cur se Ge-
nuenses interpellarent, stomachans fa-
stidiosè dicebat: irent Londinum,
ibique Britanniæ Regi causam proba-
rent suam. Soli ex omnibus Borbo-
nii Reges animo esse in Rempubli-
cam singulari dicebantur. Nam pro-
bè intelligebant, plurimum ad res
suas pertinere eorum hominum ami-
citiam, quorum esset urbs ad exerci-

DE BELLO ITALICO,
tus in Italiam transportandos, instruen-
dos, omniue re juvandos opportu-
nissima, atque id Hispani præcipue
sentiebant, cum reminiscerentur, qua-
tuordecim sibi naves onerarias tor-
mentis, & commeatibus refertas non
ita pridem disperiisse, propterea quod
Genuenses, in quorum eæ portum
refugerant, quiue ob eam rem ve-
luti Borboniarum studiosi partium a
Britannis insimulabantur, ut omnis
seu controversiæ, seu calumniæ causa
tolleretur, illas in Corsicam seponen-
das censuerant, præfidiis additis, ne
amoverentur, nisi bello perfecto.
Itaque cum Rempublicam ad arma,
suamque deducere societatem studerent
Vormaciensis foederis iniquitatem du-
rius etiam interpretabantur, incita-
bant, offerebant se, &, si sibi ip-
sa non desit, non se Reipublicæ de-
futuros pollicebantur.

At

At Genuæ Patres, cognitâ Regum voluntate, hærebant nihilominus in dies magis, remque multos jam menses extraxerant non tam gravitate negotii, quo quidem permovere bantur, quam rerum publicarum consuetudine quâdam, quæ cunctabundæ omnes videntur, maximeque Genuensis, in qua & lentius omnia, diligentiusque perpenduntur, & eo sunt homines ad decernendum tardiores, quo plures ad deliberandum consentire debent. Lege enim cautum apud Genuenses est, ne quid in Minori Concilio gravioribus præsertim de rebus referatur, quod non Senatus antea probaverit, neu die unâ, eademque referratur, atque statuatur, neu denique ratum, firmumque sit, ni id cum CC. adsunt CLX. suffragiis latis approbarint. Accedit ad hæc ingenium ho-

hominum subtile, atque in æstimandis rerum momentis paulo morosius; tum illa, de quâ supra dictum est, animorum studiorumque varietas; ipsa denique Oratorum altercatio, quâ siebat, ut distinerentur in judicando Patrum animi, atque afferrent ancipitem curam cogitandi. Qui enim ocium summe videbantur cupere, omnem bellum societatem aspernabantur, quietem Reipublicæ utilem esse demonstrabant: impedito enim ubique fere commercio, dissentientibus inter se nationibus, Genuensium autem portus cum omnibus æque patcent, omnes omnium ad eos pecunias per venturas dicebant. At quæ bello damna? quas clades? Ærarium corsico bello exhaustum nullum esse: Tributum homines horrere: præterea periculosem esse magnorum Principum

pum inimiciis, & societatibus immisceri: semper id infirmioribus civitatibus fuisse fatale: hoc Senensem, hoc Florentinam Rempublicam casu corruisse: quibus vero sociis fidendum Genuensibus esse? Gallisne? qui amicos, ac necessarios suos in medio rerum impetu, proximo hoc Italico bello deseruerint, cum prospera omnia cederent, adeo ut, aut sibi cupidius consuluisse, aut invidisse illis Italiæ possessionem videantur? an Hispanis? an Neapolitanis? quorum utrique & per se minus valent, & fortunam potius, & Gallos, quam fidem sequentur? sperare his copiis, atque auxiliis Germanicarum legionum robur, Britannici auri vim, Sardiniensis consilii solertiam posse vincere, audacis esse nimiumque confidentis; præsertim cum auxilia procul ab-

absint, hostes autem in finibus hæreant, & mari, terrâque ipsam suffocare Urbem statim possint. Non certe Finarium tanti esse, ut fortunæ omnium unâ cum patriæ libertate in apertum discrimen projiciantur: caruisse eo oppido per multos annos Rempublicam; num aut divitem minus, aut potentem fuisse? fecisse majores hac ipsa in re sapienter, qui Finarii potius jacturam, quam totius Reipublicæ naufragium facere decreverint: non esse adeo graviter inimicis irascendum, ne, cum illis nocere in animo sit, sibi noceatur: postremo satis compertum videri Vormaciensi fœdere non esse contentos Austriacos ipsos: accidere profecto posse multis de causis, vel simulatæ ad tempus amicitiæ, vel majoris commodi, vel calamitatis repentinæ aliquujus

cujus etiam communium temporum,
& fortunæ motus, ut Finarium nullo
periculo, viribus integris, insperatò
retineatur. Hæc cum avidè arriperent,
& ii, qui parum, & ii qui nimium
timebant, cum approbarent divites,
non reprehenderent prudentes, qui-
bus ferociora omnia suspecta sunt,
& cum contra etiam permulta occurre-
rent, quare turpis quies, aut pericu-
losa videretur; deliberandi tedium
quoddam in Patrum animos irrepse-
rat, ut spe, metuque suspensi bel-
lum pariter, pacemque fastidirent.
Ibi tum aliquis, qui magnæ habeba-
tur authoritatis, & eloquentiæ: Pa-
tres conscriptos, primum orat, atque
obtestatur, ut moram omnem abji-
ciant Reipublicæ perniciosam, quæ
eventum belli expectando præda es-
set sine gratiâ futura victoris; non

90 DE BELLO ITALICO,

se deinde pacis commoda, non belli
casus ignorare dicit, eaque esse æta-
te, iisque fortunis, ut conquiescere
res; quam perturbari malit: debe-
re tamen se Patriæ magis laborantis
aspectu, quam harum omnium rerum
curâ commoveri: tum acerbitatem,
atque odium Britannorum queritur,
qui cum eos portu, & commeatu
Genuenses semper juverint, tam ini-
mico in Rempublicam animo sint,
fuerintque jam tum, cum latronem
Theodorum regiis devectum navibus,
& publicis Carteretii literis commen-
datum in Corsicam summiserint: ini-
quitatem Austriacorum docet, quos
suum nomen, suasque vires ad perni-
ciem hominum optimè de se meritorum
contra fidem commodare non pudeat:
Sardiniae Regis fraudem in surripien-
dis quinque superiore Italico bello
op-

oppidis prædicat , injuriam & cupiditatem in occupando Finario ultimum ex eâ re , præsentemque Republicæ casum impendere , commemo- rat . Si enim , inquit , Sardiniae Rex fines nostros , quos Placentiâ Bobio- que urbibus ex fœdere acquisitis de- vinctos , atque obvallatos jam tenet , acerbissimis portoriis infestos terrâ habere , ut nihil invehere , nihil ex- portare liceat ; si in Finariensi littore portum extruere , quem dimensum jam animo atque exædificatum habe- re dicunt , amplum , optimum , at- que huic nostro non tutissimo opponere cœperit : quid vos Ge- nuæ futurum putatis ? Finibus tam angustis ? regionibus tam asperis ? de- perditis vectigalibus , omni terrestriū , ac maritimārum rerum uſu sublato ? an non fœdissima quæque , Finario

92 DE BELLO ITALICO,
amisso, metuenda sunt? aut finitimum hostem facili prædâ pacatorem? aut denique patientiâ aliquid profici posse speramus? Caruimus eo certè oppido per multos annos, sed ita, ut eam jacturam nunquam æquis animis tulerimus. Quod si vis, si tempus dissimulandi nobis necessitatem aliquando imposuit; etiam ne eripi nunc Finarium, atque abstrahi e sinu Reipublicæ otiosi patiemur? cum nostrum, quod erat vetustissimo jure, præsenti pecuniâ emerimus, tantique emerimus, quanti venditor voluit, egens, sumptuosus? atqui Finarium jam Principes habuerunt, aut ita humiles, ut a nobis negligerentur, aut ita magni, ut ipsi oppidum negligenterent: Regi vero Sardiniæ tam florenti, tam cupido, & cui ad suam cupiditatem parum semper, ad nostram

stram perniciem nimium jam potentiae
est, Finarium concedere, quid aliud
est, quam arma ad Reipublicae in-
terencionem largiri? quo ille Finario,
tanquam aggere utatur ad Imperio
nos maritimo usque exturbandos,
totosque adeo evertendos? patientia
autem, quam ad omnes jam calamiti-
tates atque indignitates obduruimus,
quid tandem proficimus? nisi ut le-
viora perpessis graviora imponantur?
Et hercule solet is facile accipere in-
jurias, qui segniter fert. Pudet di-
cere P. C. eò abjectionis atque hu-
militatis devenimus, ut in nos, qui
armatis quondam Regibus restitimus,
palam, atque impune, pauci mon-
tani homines, & nescio quis Theo-
dorus nequissimus insultare non du-
bitent. Nunquam ne ad recuperan-
dam dignitatem ingenuo dolore ex-

cita-

citabimur? cum potissimum dignitas
unà cum salute Reipublicæ conjun-
cta sit? quid ergo consilii est? eâ-
dem nos re ulcisci, quâ sumus la-
cessiti; vim repellere vi; conspiratio-
ni Austriacorum, Borboniorum op-
ponere societatem. Nam mediis no-
bis, ac quiescentibus postulare, ut
ex aliorum dissensione augeantur opes
nostræ, ridiculum est. Quid enim
vos Britannos, qui hoc vix portu
abstinerunt, mercatoriis in mari na-
vibus facturos putatis? cum ex Hi-
spaniis, atque Galliis, quibus in pro-
vinciis cives nostri magna, & am-
pla negotia habent, onustæ merci-
bus redierint? eas tanquam hostiles,
aut hostilia portantes illi certe excu-
tient, diripient; nos autem infelio
penè pace, quâm bello utemur.
Quod si bellum tantopere formidita-
tis,

tis, quo bello commercium labefactari dicitis; cur non quietem perhorrescitis, quæ illud omnino delet? At etiam fortunam, ut expectemus, suadent: quo majorem, credo, opprimendi potestatem habeat; namque imparatos, atque inertes aversari maximè dicitur. Quæ porro prudentia est fortunæ credere, cum uti consilio possis? aut cæcâ malle expectatione pendere, quâm exploratâ ratione subsidium comparare salutis? At ærarium exhaustum est, tributi nomen grave. Cupio videre, qui pecuniam ad conservandam Rempublicam conferre dubitet, cum eam ipsam pecuniam nisi salvâ Republicâ retinere non possit. Præterea societas Borboniorum cum ad multa alia, tum ad illud opportuna est, quod eorum pecuniâ exercitum alere possumus,

sumus , quem conscripsimus . At cavere ab amicis ipsis debemus , ne deseramur . Nulla P. C. firmior amicitia est , quām quæ magno amicis usui esse potest . Id si Senenses , si Florentini vidissent , nunquam freti amicitiis nullâ utilitate quæsitis , valentissimorum inimicitias soli suscepissent , nunquam fortassis concidissent . Nam quid huic nostræ simile amicitiæ est ? Nonne Gallorum vel maximè interest habere in Italiâ apud nos aditum ? præsertim si Rex Sardiniae munitissimis arte , naturâque locis confisus prohibeat ? non Hispanis sexennium jam fere inter Allobroges vagantibus nostrâ nos societate Italiam reseramus ? Non a Neapolitanis Austriacorum metum , atque impetum avertimus ? Cur hos tam temerè quisquam , & magno cum

cum suarum rerum detrimento a fide
discessuros judicet? nam de copiis,
atque opibus eorum nemini omnium
rectius credideris, quam Austriae
ipsis, qui fugam jam audito Borbo-
niorum adventu & præsidiorum late-
bras circumspicere videntur. An ve-
ro in Italiâ pulsum fugere Lobco-
viczium non audistis? Ardere Prusia-
co bello Germaniam? expugnari Bel-
gium? retineri domesticis dissensio-
nibus Britanniæ Regem? furere Sco-
tos? timere Batavos? Ipse autem Sar-
diniæ Rex, quem maxime gravem,
atque assiduum hostem habemus,
non suis certe viribus, quæ medio-
cres sunt, non pecuniâ, quâ eget,
sed auxiliis sociorum, & nostro im-
primis ocio invalescit. Nunc, si a
sociis, quibus suspectus est, quibus-
que confidere multum non potest,

deseratur; si nostris nos periculis non
indormire sentiat, invasurum ne aliena,
an suis diffisurum esse existi-
matis? cum præsertim recordetur, se-
puerum profugum, atque ejectum
in iis sedibus quæsisse perfugium,
quibus nunc mortiferum inferre bel-
lum meditatur. Adversus hostes tam
infirmos, sociis tam valentibus, eâ-
demque nobiscum causâ conjunctis,
dubitamus P. C., dijudicatâ jam fe-
re belli fortunâ, eo progredi, quo
incertâ etiam victoriâ descendere opor-
teret? quid tu igitur hostes con-
temnis, a quibus tantam Reipubli-
cæ perniciem comparari dicis? Ego
vero P. C. neque ita contemnendos
puto, ut negligantur, neque ita
metuendos, ut desperemus; eoque
validiora adhibenda esse remedia cen-
seo, quo vehementius ingruit malum:
nisi

nisi si quis est , qui perire turpiter ,
quam servari fortiter malit . Illud vos
ad extremum pro meo summo in pa-
triam amore , proque tanti discrimi-
nis magnitudine moneo , ut etiam ,
atque etiam prospiciatis , ne magnoru-
m Regum amicitiam tantâ in re in-
vitatos refugisse aliquando pœniteat .
Finarii causa ejusmodi est , ut in eâ
dignitas , salus præterea universæ Rei-
publicæ contineatur . Nihil est me-
dium P. C. aut Finarium quovis bel-
lo , societate , periculo etiam , & ja-
cturâ retinendum est , aut hosti pa-
rendum superbissimo , aut denique
hæc Urbs pulcherrima , hæc Patria
omnium nostrûm in vastitate , atque
in solitudine relinquenda . Hâc ora-
tione commoti Patres , impendentique
Reipublicæ clade deterriti , simul freti
fortunâ , quæ Borboniorum velificari

votis videbatur, famâque copiarum, quæ in Hispaniâ, quæ in Galliâ parari ingentes dicebantur, societatem, sui muniendi causâ, cum Borboniis inire decreverunt: ex eoque decreto, & , ne quis rem enunciaret , jure jurando lanicatum est (poterat enim intempestivè enunciata res perturbari) & quibus conditionibus confieri societatem placeret Hieronymo Grimaldo scriptum est. Is erat Reipublicæ ad Hispaniarum Regem Legatus.

Villa est Regis Hispani ad Tagum amnem in Aranguesiano venationum frequentiâ , & aquarum amœnitate nobilis . Ibi cum esset Rex animali causâ , Legati Borboniorum Regum , & Hieronymus Grimaldus , de quo dictum est , inter se colloquuntur : Vormaciense fœdus Aranguesiano esse fœdere infirmandum . Itaque rebus.

bus agitatis, conditiones cum convenissent, fœdus iustum est. Conditionum hæc erat summa: Borboniorum exercitus, classes commeatu, portu, Republica Genuensis terrâ, marique jivet: Iis auxilio decem hominum milia ornata instructaque cum xxxvi. bellicis tormentis subministret: Ne prius subministret, quām Borboniorum exercitus conjuncti sint, quamque ultra montes fuerint, qui agrum Genuensem Septemtrionem versus a Galliâ Cisalpinâ dividunt, & Liguisticæ fauces appellantur: Reipublicæ Genuensis Oppida, agros, fines Borbonii Reges tutentur: Philippo Hispani Regis Filio Regnum in Italiâ uti constituatur, omnes communiter armis, opibus curent. Hispaniæ Rex Reipublicæ Genuensi, quamdiu belluni in Italiâ erit, duodecies HS. in singulos men-

menses det: Lavinium, Cenopha, Mons-grotius, Pares Oppida, eorumque Oppidorum agri, quo jure a Philippo Vicecomite Mediolanensium Duce antiquitus Genuenses receperant; item Serravallis oppidum, arx, ager, quo item jure paucis ante annis a Comite Leonardo Auria acceperant, eo omnia jure Genuensium sint: Reges erga Genuenses eodem, quo erga suos, animo sint, caveantque, nequa Genuensibus in vectigalibus, terrâ, marique exercendis fraus, nequa injuria ab Hispanis, Gallis, Neapolitanisque naviculariis, & Mercatoribus facta sit.

Jam Gagius Genuam pervenerat, præterque mœnia Urbis cum pertransire cœpisset exercitus, portas occluserant Genuenses, & popularium exitus, militumque diligenter coercebant

bant introitum , nequa aut illorum
inscitiâ , aut horum licentiâ , parvisque,
ut sëpe fit , causis , magna fieret re-
rum commutatio , neu quam etiam
susceperant a principio belli personam ,
ut medii essent , & adhuc tuebantur ,
intempestivè deponerent . Ac tametsi
Gagius , qui ad Langenses (Porciferæ
hic est Pagus valli) idoneo loco ca-
stra posuerat , magnopere eos adhor-
tabatur , ut auxilia sibi mitterent ,
aliâ ratione se non esse ad hostes
iturum , quos numero , & loco su-
periores esse intelligeret ; tamen in
eo perseverandum Genuenses puta-
bant , ut ne prius mitterent , quâm
noster esset exercitus ultra eos mon-
tes profectus , qui Liguriā a Gal-
liâ Cisalpinâ dividunt , & Ligusticæ ;
ut dictum supra est , fauces apel-
lantur : idque ipsum in Aranguesia-

104 DE BELLO ITALICO,
no fœdere adscribendum, eaque de
causâ curaverant, quod verebantur,
ne patefactâ ante id tempus societa-
te, statim in finibus suis Austriacos
hostes haberent, id quod Reipu-
blicæ detrimentosum esse existima-
bant. Simul descendere aperte, pa-
lamque in partes auxiliis missis nole-
bant, nisi prius exploratis quantum
poterant rebus, quarum prope cer-
tus videri tum poterat exitus, atque
adeo ostendendæ amicitiæ tempus op-
portunius, cum tribus magnis Phi-
lippi, Gallorum, & Gagii exerci-
tibus conjunctis in Galliam Borbo-
nii Cisalpinam irrupissent: Ipsi au-
tem adversus vastitatem, cæterasque
belli clades, & Ligusticarum fau-
cium angustiis, & tantorum exerci-
tuum conjunctione tutiores essent.

At Gagius neque sine Genuen-
sium

sium auxiliis Ligusticas superari posse fauces dicebat , neque ducis considerati esse judicabat , eos relinquere post se non aperte socios , a quibus omnia fere ad bellum necessaria expectanda essent , & quorum auxiliares copias tamquam obsides habere posset perpetuæ ipsorum erga Borbonios voluntatis .

Interim Philippus Gagio ad duo millia Draconum , & provincialium Hispanorum Pyrochitrophorum coortes summâ virtute , quibus Augustinus Ahumada præerat , auxilio misit ; item Patris , Socerique nomine Marchionem Chetardiensem Gallum , & O-Walium Hibernum , qui apud se in exercitu erant , Legatos Genuam misit : quorum alter Sarmaticâ erat legatione notus , alter , ut postea confecto bello cognitum est , concilian-

dæ pacis auctor præcipuus fuit, cum post incommodam plures Genuæ menses simulatam valetudinem, mutandi, ut dictabat, cœli causâ, in Britanniam profectus est. Hi igitur in Senatum introducti, Galliarum se se, atque Hispaniarum Regum nomine, quorum insignis semper fuisset, & præcipua tunc esset erga Rempublicam benevolentia, & fides, venisse oratum dixerunt, ut auxilia Genuenses Gagio submitterent, quæ nisi statim submittantur, non posse Hispanos, Neapolitanosque omnino progredi, & futurum fortasse, ut ad nihilum incredibilis eorum virtus recideret, ausi quâ sunt ascendere altissimos montes, transire rapidissimum flumen, extremam tolerare inopiam, quæ facilia ex difficillimis non tam animi magnitudo illis innata nationibus,

bus, quam Genuensis auxilii fiducia redegerat: non se se arbitrari temporis causâ, aut simulatâ Genuenses amicitiâ societatem cum Borboniis instituisse: Quid tam porro justæ, veræque amicitiæ repugnare, quam si, quod triduo, ad summum quatriduo præstatur ex fœdere sint; fidelissimorum id amicorum precibus repræsentare illiberaliter quodammodo dengent? debere eos communem potius utilitatem, ex quâ omnia homines interpretari fœdera oportet, quâm fœderum formulas, & verba spectare: factum esse Aranguesianum fœdus, ut communibus viribus communis repellatur hostis: at Genuensium cunctatione istâ inopportunâ non repelli, sed invitari hostem, ut Gagianorum militum paucitate contemptâ Ligusticas continuò fauces oc-

cupet: quibus occupatis, & Gag-
gium ad rem gerendam inutilem ef-
ficiat, & ipsos quasi in vinculis ha-
beat. ne ea, quæ Reipublicæ inter-
esse cognoverint, quæque ille admo-
dum timet, decernere audeant. Id
vero si accidat, quo tunc Arangue-
siani fœderis consilium? Quo virium
communicandarum spem? Sin autem
in consiliis capiendis unam intueri
fortunam vellent, omnia haec tenus ac-
cidisse Austriacis adversa, Borboniis
secunda: illorum semel, atque ite-
rum ab invictissimo Rege Gal-
lorum fusas in Belgio ac superatas
corias, quas Batavorum etiam, &
Britannorum exercitus sublevabant:
unam esse in Italiâ Genuensium ci-
vitatem, quæ certissimam Borboniis
victoriam creare possit: ejus patefa-
ctâ societate fugæ se statim Austria-
cos

cos mandaturos, neque ullum consistendi illis in Italiâ locum fore. Proinde vel amicitiæ, vel utilitatis, vel denique fortunæ causâ ne cunctarentur auxilia Gagio submittere: liberè jam, atque audacter descendenter in causam, & quos hostes jamdiu senserint, pro hostibus aliquando haberent.

Genuenses Legatorum permotî eloquentiâ, quam Borboniorum adjuvari victoriis intelligebant, & quod ingratum sane videbatur tantulæ, ut apparebat, rei controversiâ, in ipso societatis initio sociorum offendere animos, & quod eo erant progressi, ut magis liceret non cœpisse, quam cœptum semel non exequi usque ad extremum. Millia hominum octo, & quæ ad eorum, bellique usum pertinebant, auxilio mittenda esse Gagio sta-

statim censuerunt. Horum summa imperii tradita Joanni Francisco Brignole-Sale est, cuius postea, cum Reipublicæ Principatum adeptus est difficillimo tempore virtus nobilitata est. Item S. C., quo mitti auxilia decreverant, renunciari Austriacis, eorumque sociis per legatos oportere suos statuerunt. Tanta autem erat erga Reges observantia Reipublicæ, ut ne Regi quidem Sardiniae ipsi nominatim bellum denunciaverit, tametsi Vormaciensi irritata fœdere suas ab eo imminui, trahique in discrimen opes videret. Et per eos forte dies acciderat, ut Eques Alfierius, qui in agro Nicaensi Sardiniensibus copiis præterat, in Genuensium oppidum Albintemelium, ubi Hispanorum erant horrea constituta, impetum faceret, & præsidio dejecto, frumenti, pabulique,

lique, quod subito poterat per equites comportaret, reliquum, ne cui Genuensibus usui esset, incendio corrumperet. Denunciationem Reipublicæ Britanniæ Rex cum intellectisset, minaciter respondisse fertur cum suarum classium Præfectis imperaturum dixerit, si quid in eam rem sibi videretur; Quanquam Genuensium apud eum Legatus neque amici, neque hostis loco habitus Londini permanserit. Rex autem Sardiniaæ nihil accidisse novi dixit, si Genuenses bellum denunciarent, quod suis favendo hostibus jamdiu gererent, neque ita tamen occultissimè, ut perspici non posset. Quibus auditis Hieronymus Curlus, qui apud Regem Genuensium Legatus erat, in patriam rediit, illato bello. At Bartholomæus Laumellinus, qui oppido-

Novis Genuensium jussu præerat, ad Comitem Sculemburgium in castra Austriacorum se contulit, atque ita ex auctoritate Senatus cum eo egit: Genuenses neque priores Austriacorum socio, atque amico Regi Sardiniæ; neque sine causâ bellum denunciare: necessario facere, invitatos, atque omnia prius expertos, si qua posset æquitate componi: unum se se infirmis pene precibus orasse, ut quæ Reipublicæ optimo semper jure fuissent, atque essent, ea esse insigni injuriâ ne desinerent: ne id quidem propter Vormaciense fœdus impetrari potuisse: suos jam ab Rege Sardiniæ fines violari, ad Albintemelium effringi, diripiique horrea: quonam hæc omnia, nisi ad Reipublicæ perniciem pertinere? proinde non esse ipsis succensendum, si, ut

ut esset dictum, necessario ad arma
descenderent, quæ inferri sibi jampri-
dem videant, si sui muniendi causâ
Borbonios socios adsciscerent, si iis
auxilia mitterent: nihil se propterea
de suâ erga Austriacos benevolentia,
atque observantiâ detractum arbitrari;
quandoquidem jure Gentium obti-
nuerit, ut amicos contra amicos au-
xilio juvare, salvâ amicitiâ, liceat:
nemini injuriam facere, qui sua tuea-
tur: imperium se se acceptum a majo-
ribus velle conservare: quo imperio
ille haberi indignissimus debet, qui
retinere illud quâcumque ratione aut
non possit, aut non audeat. Dicen-
tem Laumellinum interpellat Sculem-
burgius, & discedere conantem pro-
hibet, eodemque temporis vestigio
Clericianæ legionis instructorem cum
equitum, ac peditum parte mittit,

114 DE BELLO ITALICO,
qui Reipublicæ præsidium, quod erat
Novis, captivum abduceret, ipsum-
que Oppidum haberet prædæ loco.
In quo nonnulla fuit hominum que-
rela, qui Sculemburgium suæ magis
iræ, quam juri Gentium obtempe-
rasse dixerunt.

Habebat, uti diximus, castra
Gagius ad Langensium Pagum, &
sicuti Genuensium diligentia omnium
copia rerum abundabat, ita præmio-
rum tenuitate, quibus donare explora-
tores ipse consueverat, flagitiose
erat ab exploratoribus imparatus.
Nam Gagius alienæ pecuniæ non
appetens, suæ parcus habebatur:
id quod nonnulli in Imperato-
re reprehendunt, cui propositum
unum illud esse debet, ut vincat,
& victoriæ causâ non suis, non alienis
parcere bonis oportere ajunt.
Sed

Sed exploratorum paucitate fiebat, uti hostium neque consilia, neque itinera cognoscerentur, ut levi auditione, & falsis plerumque rumoribus interdiu, noctuque clamaretur ad arma; sic ut tam incertis rebus non militibus quies, non ducibus ratio esset certa imperandi, omniaque erroribus, ac suspicionibus perturbarentur. Quæ res impetus etiam nostros, consiliaque tardabat; præterea quod non satis celeriter explicari poterant, cum ignorarentur ea, quæ apud hostes gerebantur, & ad quæ accommodare sua sæpiissime consilia Imperatores solent. Præterea Philippici exercitus mora, quicum Gagiani exercitus iter consentire debebat, non parvo erat nostris ad progrediendum impedimento. Philippus enim expugnatis in itinere Loano, Oneliâque, Castel-

116 DE BELLO ITALICO,
lis satis munitis procedere paulatim,
ac Savonem vix aliquando tandem
pervenisse dicebatur. Hæc erant, quæ
Gagio diutius ad Langensium pa-
gum morandi afferrent causam.

Jam Philippi, jam Genuensium
auxilia in Gagii castra convenerant,
& tanto militum numero auctis co-
piis ad hostem proficiisci Gagius con-
stituit, cognitâ prius loci naturâ,
quæ erat ejusmodi. Porciferam val-
lem, quæ in longitudinem passuum
circiter x. millia patens ab amne ap-
pellatur, qui illam interfluit, quique
modicis, ac prope nullis aquis est,
nisi maximi accidentant imbræ, neque
longius ab Genuâ millibus passuum iii.
Arenam inter, Cornilianumque pa-
gos in mare influit; quam vallem
hominibus, ædificiisque frequentem,
& cultu, prospectuque amœnam col-
les

les cingunt leniter acclives, qui in montes statim assurgunt editos, atque asperos: atque hi in arctas tandem coguntur fauces, quas Ligusticas appellari diximus. Has intra fauces una est militaris via, reliqua sunt præterea itinera duo, quibus etiam patet aditus ad Genuam paulo tamen impeditior, atque difficilior: quorum itinerum alterum ad dextram est Ligusticarum faucium ab eâ parte, qua mons eminet Flacconius, Iriaque amnis labitur; ad sinistram est alterum ad alterius item montis radices, qui Gazius dicitur, editissimusque est omnium circumiacentium. Tam illa militaris via latior, quam angustiora hæc itinera duo in unum confluunt ultra Ligusticas fauces ad Octavium vicum, eoque Gavium versus, Novasque itur, oppida

118 DE BELLO ITALICO,
pida Genuensium. Magna est harum
faucium in bello opportunitas, ut
qui eas prior occupaverit, hostem
repellere levi negotio queat; si a
duce milites non deserantur, & si,
qui valleni, montesque incolunt, ar-
mis aptissimi homines ac feri, con-
sentiant. Tunc eas occupaverat prior
Gagius, & præsidio cohortis imposito,
atque additâ munitione diligenter tue-
batur. Austriaci, ne faucium præoc-
cupatione premerentur, impetum ad-
versus montem facere in cohortem co-
nantur, nostri, ne locum maximæ
opportunitatis turpiter dimitterent,
paratissimo erant ad propugnandum
animo. Contenditur prælio; & no-
stri, quod loco, numeroque præsta-
bant, celeriter hostes dederunt in fu-
gam: fugientes sylvæ, tramitesque
texerunt, a quibus illi protecti, at-
que

que occultati , paucis amissis , ad Octavium sese vicum receperunt , iis- que sese adjunxerunt , qui submissi a Sculemburgio numero ad septem mil- lia cum paulo ante vicum tenuerant , & naesti opportunum non longe a Lemure amne in valle collibus præ- septâ locum , quâ necessarius erat no- stris , & perangustus , si perrumpere vellent , aditus , hunc fossâ , atque ag- gere communiverant , & occupatis collium jugis , loci naturâ , atque operis munitione , circumjectisque ibi forte muris , quibus agri privatorum ambiebantur , freti prohibere nostros transitu sperabant . Quibus rebus co- gnitis , Gagius , profectionisque , utili demonstratum est , suscepto consilio , sarcinarum , atque impedimentorum magnam partem Genuam versus remitti jubet , quo tutius collocarentur , neque

neque multo militum præsidio ad ea
tuenda opus esset, ipse expeditiore,
& in tres partes distributo exercitu
occurreret hostibus. Dexteram partem
eo ire itinere jussit, quod ad mon-
tem pertinere Flacconium diximus,
eique ducem Vievillæum Legatum
præfecit: sinistræ Comitem Sevium
Legatum præposuit, qui præter mon-
tem Gazium eam duceret. Dux Mu-
tinensium, ipseque unâ Gagius me-
diæ aciei præfuerunt, & militari illâ
intra fauces viâ processerunt. Equita-
tus post tergum rejectus, quod locis
asperis, atque concisis ejus inutilis
opera videbatur, lentius subsequeba-
tur, agmenque cogebat. Legatis man-
datum erat, ut iter moderarentur,
neu prius concurrerent, quam telum
emitti exaudirent, ut undique uno
tempore ad emissi teli fragorem in
ho-

hostes impetus fieret, nullaque illis, ut inferioribus numero, & ab utroque latere circumventis spes fugæ relinqueretur. Appropinquabat hostibus Gagius; at Legati morabantur. Namque circuitu majore, & ascendendis, descendendisque collibus longius erat Vievillæo iter; & Sevius præter eandem intersepti itineris difficultatem in ipsos imprudens inciderat hostes, qui omnibus ab eâ parte saltibus decessisse falso dicebantur, neque, certi quid esset, sciri per exploratores poterat, quorum, ut supra docuimus, mira erat paucitas. Ac tametsi loco eos confestim cedere coegerit, id ipsum tamen suum hostibus iter apreuerat, & moræ injecerat aliquantum ut ab suo latere circumire in tempore hostes, sicut convenerat, non posset. At ii, qui in mediâ erant

Q

acie,

acie, cum pro se quisque in conspectu Ducis Mutinensium, & Comitis Gagii Imperatorum etiam difficillimis rebus operam navare cuperet, retineri non potuerunt, quin locum subirent iniquum, hostium ascenderent aggrem, adeo ut nonnulli sublevati alii ab aliis in summâ consistere munitione, ibique propugnantes interficere auderent. Hostes loco freti manu, & naturâ munito facile nostros audacius subeuntes deturbabant, &, cuin nullum frustra jaculum desuper mittetur, cædebant, videbaturque jam non sine ingenti nostrorum cæde perrumpi posse, propterea quod magno ipsi loci iniquitas præsidio, nostris detrimento erat. Quod cum Gagius animadvertisset, subito tormenta aliquot adduci, quibus agger diruereatur, & adversa locari iussit. Quâ re per-

perterriti , simul cum alterâ ex parte prope jam Sevius adesset , ex alterâ Vievillæus descendere impressionem jam facturus cerneretur , tum a fronte succedere nostri acriter non desisterent , illi , relictâ munitione , ad Octavium vicum , indeque citissimè sese , circiter octingentis amissis , ad Sculemburgium in castra receperunt . Neque illorum quisquam superfuisset , si aut Legati ab utroque latere , ut erat præceptum , uno in hostes concurrissent tempore , fugamque iis interclusissent , aut fugientes pars equitatus , quem omnem non satis prudenter rejectum esse post tergum diximus conjectari , atque opprimere potuisset ,

Recepto Gagius Octavio laboriosâ Gavium viâ proficiscitur , quia in etiam hostes interruperant , ut essent

124 DE BELLO ITALICO,
nostrí ad insequendum tardiores: quo
cum tandem venisset oppidum ipsum,
quod arcem habebat satis validam,
communire, atque instruere jubet,
ut eo pecuniam exercitus publicam,
ægros, atque omnem belli apparatum
conferret. Hæc dum ipse administrat,
Vievillæum Legatum, qui primo
agmini præerat ad occupandas Novas,
& commeatuum ab Genuâ subvectio-
nem explicandam mittit; Sevium præ-
terea Legatum mittit cum tormentis
sex, duobusque millibus hominum
ad expugnandam Serravallis arcem:
quæ quanquam ad Iriam amnem
posita naturâ probè munita esset,
præsidiumque ibi ccc. militum le-
gionariorum Sardiniæ Rex haberet,
quibus Roscius castrorum Præfectus
præerat, nihilo tamen minus longin-
quam oppugnationem sustinere non
po-

potuit. Vehementius enim a Sevio oppugnata, quam a Roscio defensa, cum jam militum præsidiariorum stationes ollis tactæ incendiariis deflagrassent, undecimo ab oppugnatione die, deditio[n]e factâ, capit[ur], & Genuensibus ex Aranguesiano fœdere attribuitur.

Interim Philippi, Gallorumque exercitus Subalpinorum præsidiis saltibus Montisferrati dejectis, atque Aquis subito Statellis a Pignattello Legato occupatis, eâ felicitate, quæ plerumque adest novantibus res, omnem circa regionem in suam celeriter potestatem redegerant. Quibus cognitis Gagius discedendum Gavio, ulteriusque sibi progreendiendum existimavit, ut, cum Philippi Gallorumque copiis conjunctis suis, uno consilio bellum administraretur, summa-
que

DE BELLO ITALICO,
que imperii ad Philippum Philippi
Hispani Regis F. respiceret. Erant
numero, & genere hominum præ-
stantes copiæ Hispanorum, Gallorum,
Neapolitanorum, Genuensium. Mar-
chio Malibojus Gallis præerat Galliæ
militiæ Magister: lxii. millia peditum,
viii. equitum habere in armis dice-
bantur. Magna multitudo, magnus-
bue ex tantis viribus animus, ut ni-
hil sibi impeditum, nihil hostibus
tutum arbitrarentur. At Sculembur-
gius collectis, qui ab Octavio refu-
gerant ad Ripaltam, Novis relictis,
citatum agmen rapit, ibique loco mu-
nito, fluminibusque circumfuso castra
locat de summâ rerum admodum so-
licitus. Neque minus æstuans, labo-
ransque ab Augustâ Taurinorum Sar-
diniæ Rex venerat in castra: quæ
quidem Tanarum inter, Padumque
amnes

amnes posita loci naturâ, pontibus, atque additis operibus munitissima erant, & ad bellum ducendum aptissima. Ipse enim præsidiis, locisque difficilibus hostium impetum frangere, & tractandis conditionibus, ac simulatione cum Gallis ineundæ societatis præsentem procellam devitare, consiliumque ex tempore, ac fortunâ capere meditabatur.

Ita Hispanis, qui nunquam vieti, nunquam victores toties cum hoste conflixerant, & iis, qui Gagio Duce Pontificias ultro, citroque Provincias diù pererraverant, neque tamen quicquam profecerant, & iis, qui in alpibus ad Italiam portas sexennium jam fere obversati, in illam auxiliis etiam Gallorum irrumpere, cum saepe tentassent, nunquam potuerant; factâ cum Genuensibus societate subi-

128 DE BELLO ITALICO,
to in Cisalpinam iter Galliam patefa-
ctum est. Austriaci autem, qui magno
animo ingentique fiduciâ gerebant
bellum, quod & mare Britannis so-
ciis tenebant, & locis confidebant na-
turâ munitissimis, eosque ex Vorma-
ciensi fœdere spiritus sumpferant, ut
Italiam omnem suam dicerent, aliis eri-
perent, aliis donarent, modò respicere
sese, & suis timere rebus cœperant.
Tanta traductis ad amicitiam, & so-
cietatem Borboniorum Genuensibus,
facta est rerum in Italiâ commuta-
tio.

F I N I S.

W

1-11

Bonariensis

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA



3 0112 102170674